


VERITAS VINDICATA

SIVE

PERMULTÆ SENTENTIÆ AUCTORUM

SOCIETATIS JESU

IN THEOLOGIA CHRISTIANA

DOGMATICO-MORALI

MINUS SINCERE RELATÆ

Suæque integritati a quodam ejusdem Societatis Theologo Restitutæ.






LUCÆ MDCCLIII.

Typis PHILIPPI MARIÆ BENEDINI.

SUPERIORUM PERMISSU.



VERITAS VINDICATA

SIVE

PERMULTÆ SENTENTIÆ AUCTORUM

SOCIETATIS JESU

IN THEOLOGIA CHRISTIANA

DOGMATICO-MORALI

MINUS SINCERE RELATÆ

Suæque integritati a quodam ejusdem Societatis Theologo Restitutæ.





LUCÆ MDCCLIII.

Typis PHILIPPI MARIÆ BENEDINI.

SUPERIORUM PERMISSU.

PRAEFATIO.



EX iis plurimis, quæ in caufa fuerunt, cur de Morali Patris Concinæ Theologia merito quefti fumus; unicum rerum genus in hoc opufculo pertractatum exhibeo. Falfas nimirum criminationes lectorum oculis fubjicio; quibus vel invidiofæ fententiæ, quas numquam tradiderunt, Societatis auctoribus affinguntur; vel, fi tradiderunt, ita truncatæ, aut deformatæ exhibentur, ut illo fub adfpectu conftitutas nemo pro fuis aut agnofcat, aut velit. Ad hoc autem confilium capiendum complura me impulerunt. Primum, quòd innocentium reorum defenfionem fufcipere, fi alicujus præfertim conjunctionis vinculo tecum contineantur, ipfius naturæ vox non hortatur modo, verùm etiam præcipit. Quamobrem nihil mihi antiquius effe debuit, quàm ut noftri Inftituti Theologis hoc pietatis, atque adeo juftitiæ officium perfolverem, id eft ut eos ab iniquis criminationibus vindicarem. Deinde quòd cætera per fe ipfi lectores, nullo monftrante, animadvertere facile poffunt. Mordax fcribendi genus, acres declamationes, incitatiffimi impetus, turpif-


ſima convicia, & notæ in omnium oculos ſtatim incurrunt. Exquiſitum artificium, quo Jeſuitæ nominatim ac propriè in odium adducuntur; & apud accedentes ad Poenitentiæ tribunal in ſuſpicionem vocantur, nemo non videt. Intemperatæ cenſuræ, quibus permultæ noſtrorum opiniones, ſummis cæteroquin cujuslibet Inſtituti Theologis, validiſque rationibus commendatiſſimæ, foedè dehoneſtantur; juſtæ ne ſint, an ſecus, quilibet vel mediocriter in hoc ſtudio verſatus, cùm præſertim opiniones eaſdem ferè ſolis contumeliis refelli viderit, haud magno negotio dijudicabit. Illud addo: ſat eſt *epiſtolas Provinciales*, *Theologiam moralem Jeſuitarum*, *Henricum a S. Ignatio*, *Sinnichium*, *Gennettum*, paucoſque alios ſeverioris diſciplinæ patronos vel curſim perluſtraſſe, ut intelligatur, unde hæc tandem fere tota Theologia exſcripta ſit. At verò illa detegere, quæ per calumniam auctoribus affiċta ſunt, improbum quemdam laborem poſtulat. Plurimi enim adeundi ſunt libri; plurimæ diligenter excutiendæ quæſtiones; plurima loca inter ſe conferenda; ut ſiquid lateat fraudis, deprehendatur. Qui labor niſi eſſet a me ſuſceptus, a lectoribus profecto neque ob illam ſecuritatem, quà omnia ſumma fide relata eſſe exiſtimaſſent, expectandus erat; neque ob moleſtiam honeſtè poſtulandus. Poſtremo ad hoc præſtandum illud me adduxit, quòd inaudieram, tum ſcriptis, tum ſermonibus diſſeminari; omnia tandem, quæ in Patris Concinæ Theologia lente faſtidioſeque exa-

mi-

minata nobis displicuerunt; non plura esse, quàm quæ ipse nota sua *Declaratione ac sincera Protestatione* complexus est: Quod a vero quamlongissimè abhorret. In eo enim scripto, ad quod illa *Declaratio* exacta est, neque omnia rerum genera, neque singula sub unoquoque genere contenta, sed brevissimum tantùm aliquorum specimen proposuimus; ne cujus minimè debebamus, patientia atque clementia abuteremur. Quod, ut plurima omittam, satis intelligi ex hoc opusculo licet. In ea enim *Declaratione* sex, septemve sententiæ minus bona fide relatæ enumerantur: cùm ego hic centum, eoque amplius proferam, aliasque permultas, ut sanctè affirmo, paratas apud me, & digestas habeam. Quas huc conjiciendas non esse duxi, propterea quod cùm longam habeant & litigiosam disputationem; eas dumtaxat seligendas existimavi, quas lectores minima mentis intentione, atque uno quasi oculorum conjectu videre possent. His ego causis adductus sum, ut hanc opellam emitterem; suamque innocentiam nostris auctoribus falso accusatis assererem. Quod nemo reprehendere, aut hoc nomine mihi succensere poterit; nisi facultatem hominibus a Natura ipsa concessam negare idem, ac per summam injuriam auferre velit. Equidem de cæterorum ordinum Theologis eamdem curam non suscepi. Sed ideo fuit, quia illi, quos hujusmodi res propiùs contingit, multo, quàm ego, sapientiores sunt; neque mea opera egent, ut idem copiosè, luculenterque perficiant. Quæcumque tamen vel

noſtris vel extraneis auctoribus impoſita ſint; illud ſincera perſuaſione pro certo habeo, nihil malo animo actum, ſed omnia vel ab incuria quadam, vel a nimia feſtinatione, vel ab otii defectu profecta eſſe. Lectores demum non admonitos ſolùm, ſed vehementer etiam atque etiam rogatos volo, ut in his perlegendis non plus fidei mihi habeant, quàm documenta, quæ affero, mereantur. Siquid eſt, quod productis a me textibus evidenter non conficiatur; jam hinc illud indictum volo.

VER-



V E R B A.

M. L. Bail Doctoris Theologi, ac Propoenitentiarii Parisiensis.

Tom. 1. Conciliorum Pag. 811., & seqq.

Renovatum est bellum jam antea identidem repetitum adversus Theologiam Moralem Summistarum, (casuitas dicunt;) nec non gravissimos plerosque Theologos tam ex antiquis, quàm ex modernis, qui quæstiones de moribus definierant ....

Initium fecerunt ab INSIGNI VOLUMINE Thomæ Sanchez: & quidquid in eo eximium est, prætermittentes; dubia illa, quæ de debito matrimonii apud alios tractantur impune, in Catalogum suum concluserunt cum ipsius ad ea dubia resolutionibus. De quo indiculo meminit obiter Servinus Advocatus Regius in Parlamento Parisiensi in una disertarum illarum orationum, quas in eodem Parlamento habuit. Ludimagister Bernensis Christophorus Luthardus petulanter admodum illud ipsum volumen impetit, non obstante confirmatissima ejus eruditione, & utilitate ipsis perspecta, qui sunt de salute, & puritate animarum solliciti. Cui simile opus vix sperari potest intra quingentos annos a quoquam scriptore æquè doctum in lucem emittendum: & licèt quædam de materia foedorum actuum tangat, turpior tamen est infernus; & si foedus est sermo, foe-

foedius eſt in peccato putreſcere, ut Petrus Bleſenſis ajebat Tractatu de Confeſſione. Ille auctor medicus eſt animarum, qui aliquas ſpurcitias movet, ſed ad ægrotantium curationem. Si Angeli eſſent homines, talibus non indigerent. Facto autem initio a Thoma Sanchez progreſſi ſunt ulterius: quibus etiam ALII IN FIDE SANI ſe adjunxerunt SUB PRÆTEXTU REFORMANDI LAXIOREM vitam hominum. Unde PLURES INDICULI ALII poſtea. Nec ulla ratio habita eſt Caſuitarum in eamdem ſententiam conſpirantium, & plurium ac ingentium voluminum, quæ hoc ſæculo prodierant. Nam in toto ſæculorum quindecim decurſu non numerari pluſquam duodecim caſuitas, cùm res admodum lubrica ſit de conſcientia, & de diſtinctione venialium a mortalibus diſputare. Nunc verò, ut conquerebantur, caſuitarum nubem exortam eſſe, qui tamquam Ægyptiacæ ranæ in Eccleſiam incubuerunt, & nihil penè jam in moribus integrum reliquerunt.

Extat de his graviſſima querela R. YPRENSIS in ſuo libro prooemiali capite octavo. Tam laxas, *inquit*, effecere conſcientias ſub prætextu accommodandi ſe infirmitatibus hominum, ut nihil opus ſit, niſi ſceleratiores fieri homines, ut nova aliqua, & licentioſa regula fabricetur...... Ut re vera pleriſque chriſtianis ſcientia recentioris Theologiæ ad nihil deſerviat, niſi ut ſenſa diverſa diverſorum ſuis apta cupiditatibus noſcendo & ſequendo depoſita ſimplicitate chriſtiana verſutiores, & probitate nequiores fiant....

Tales autem controverſias omnes complexus eſt auctor innominatus operis illius poſthumi; quod anno 1667. e proelo exiit, & ſequenti flammis devoratum eſt auctoritate Judicis. In quo auctor Moralem Theologiam caſuitarum confundens cum Morali Theologia ſcriptorum Aſceticorum, quos vulgo Myſticos aut ſpirituales dicimus, ait initio; finem ac ſcopum Theologiæ moralis caſuitarum in eo reponi, ut homines ad virtutem promoveant, & ad laudabiles actiones, & eos deterrendos a vitiis, & peccatis.

A quo scopo etsi non deflectat Theologia Moralis casuistarum, non tamen est proprium illius munus id spectare præcisè: sed magis quid licitum, & non licitum, ubi leges silent, & nihil dicunt, ostendere......

Inde est quod Auctor illius Centonis minimè attingens scopum proprium, & finem peculiarem moralis casuiticæ, QUIDQUID ferè pietatem & perfectionem asceticam non sapit, ferula sua castigandum censeret; & ut horrorem incuteret maximum, quàm fieri posset, illius Moralis, ordine methodico illam in tres partes dividit...... de quibus agit eo fine; ut probet, Theologiam Moralem quorumlibet debita officia depravasse, ut impune liceat quibusvis obligationi legitimæ proprii status deesse absque ullo metu peccatorum septem mortalium, quæ fere in venialia desierunt. Quin etiam tollit omnia media, quæ Christus subministravit peccatoribus, ut ad bonam frugem redeant.

Tandem concludit manifestando, PURITATEM SUÆ INTENTIONIS non aliam fuisse, quàm tollere abusus simplicium, & iis, qui sibi obcoecare oculos noluerint, & rebelles esse lumini, propalare totam doctrinam morum & casuum non alio tendere, quàm licentiæ peccandi, & totius mundi corruptioni favere. O zelosum Compilatorem!

At si credimus homini innominato, foedere juncti sunt Theologi morales, ut idem moliantur. Quis hoc sibi persuadere valeat? quis in mentem inducere, quod Theologi ex omni parte Europæ in hoc conspirent, ut universi orbis homines in laxis moribus corrumpantur; quorum potius labor assiduè in hoc impenditur, ut destruatur corpus peccati; & sit hic fructus omnis, ut auferatur peccatum?....

Quàm longe hæc dissita sunt ab Innominati Centone, quem excutere magis cogitaveram, nec pauca ad id idonea parata habebam ex varia lectione, & collatione locorum ad tollendam larvam, qua obtegitur; nisi quod veriùs illi

ada-

adaptari potest, *quam Theologiæ morali*, *IN QUAM DESÆVIT*, *illud Augustini in Psalm.22.* „ Talibus ma„ lis magis prolixi gemitus, ac fletus, quàm prolixi libri „ debentur „. *Nam & sic ex omnibus antiquis Doctoribus SELIGENDO EA SOLUM, QUÆ IN IPSIS INFIRMIORA SUNT, CENTO IMPURUS, ET ODIO HABENDUS CONFICERETUR*.



IN-

INDEX THEOLOGORUM SOCIETATIS JESU IN HOC OPERE VINDICATORUM

Numeri Capita indicant quibus ii vindicantur.

LEG.



CAPUT I.

Vindicatur ab impostura P. Tamburinus.

P. CONCINA Tomo I. pag 62.

Satis est actum fidei semel in vita eliçere. *Hanc quoque opinionem docet Tamburinus loco citato num.8.*





ÆC est evidens impostura contra Tamburinum. Tamburinus enim loco citato num.8. numquam docet præfatam propositionem proscriptam, sed aliam longè diversam: ut jam ostendo.

Locus citatus est liber.2. in *Decal. cap.*1. §.1. Tamburinus ibi num.2. distinguit NECESSITATEM MEDII, quam etiam appellat NECESSITATEM SALUTIS, a NECESSITATE PRÆCEPTI *Aliud est*, inquit, *quærere quidnam credendum sit de necessitate SALUTIS, seu MEDII, sine quo scilicet adultus justificationem, atque adeo salutem consequi non potest; aliud quid de necessitate PRÆCEPTI tantùm* „.

Deinde numero 3. docet, satis esse, elicere semel in vita, non IN GENERE actum fidei; sed IN SPECIE

actum fidei NECESSARIUM NECESSITATE MEDII *Tria*, inquit, *insuper hic adverto. Primo in bene moratis, vel confiteri solitis supponi posse, SEMEL hæc mysteria credidisse: SEMEL, inquam, Nam EX NECESSITATE MEDII SEMEL SUFFICIT* ,,.

Demum num.8., ubi P. Concina dicit, Tamburinum docere prædictam opinionem damnatam; ita scribit *Vel primo sermo est de actu fidei* NECESSARIO NECESSITATE SALUTIS; *&* HUNC *quidem* (advertat diligenter P. Concina; HUNC, non alium) *SEMEL in vita elicere satis esse, modo vidimus num* 3.

Ubi evidentissimum est, Tamburinum loqui de actu fidei NECESSARIO NECESSITATE MEDII; tum quia nomero 2. pro eadem acceperat NECESSITATEM SALUTIS, & NECESSITATEM MEDII: tum quia numero 3., cujus doctrinam hic se repetere profitetur, apertissime dixerat ,, EX NECESSITATE MEDII SEMEL SUFFICIT ,, Ac proinde opinio, quam citato num 8. Tamburinus docet, limpidè & nitidissimè hæc est; SATIS EST EX NECESSITATE MEDII ACTUM FIDEI SEMEL IN VITA ELICERE.

His positis. Illa propositio 17. damnata ab Innoc.XI. *Satis est, actum fidei semel in vita elicere*, æquivalet huic universali, *NULLA EST NECESSITAS eliciendi in vita actum fidei plusquam semel.* Opinio Tamburini æquivalet huic particulari: NON est NECESSITAS MEDII eliciendi *in vita actum fidei plusquam semel.*

Jam vero Vel P. Concina putat has duas propositiones esse valdè diversas, vel non putat. Si secundum; revincetur a quolibet summulista, qui noverit, quantum discrimen intercedat inter propositionem universalem, & particularem; inter GENUS, & SPECIEM. Si primum, ideft si putat esse valdè diversas, ergo impostura est, Tamburinum docuisse primam propositionem; cum docuerit, ut evidenter ex ejus verbis ostendimus, solùm secundam.

CA-

CAPUT II.

Vindicatur ab alia non absimili impostura idem Tamburinus.

P. Concina Tom. 1. pag. 64.

Sufficit illa mysteria semel credidisse. *Hanc EXPRESSE docet Tamburinus lib. 2. in Decalogum Cap. 1. n. 3.*

NEque EXPRESSE, neque implicitè hanc docet Tamburinus. Sed hæc est alia impostura superiori non absimilis, quæ ex dictis facilè refutatur. Propositio enim damnata æquivalet, ut de propositione superiori dicebamus, huic universali: NULLA DATUR NECESSITAS *credendi illa mysteria, plusquam semel.* Et opinio Tamburini est hæc particularis: NON DATUR NECESSITAS MEDII *credendi illa mysteria plusquam semel.* Ita enim scribit citato num. 3. *Semel, inquam, nam* EX NECESSITATE MEDII *semel sufficit.* Porro sicuti qui diceret, *equus non est ANIMAL RATIONALE*, profecto non diceret, *Equus non est ANIMAL*: Ita qui dicit *NON DATUR NECESSITAS MEDII*, ut dicit Tamburinus; profecto non dicit, *NULLA DATUR NECESSITAS*, ut dicit propositio damnata.

Reperiat P. Concina, si potest, in toto Tamburino illas propositiones indefinitas, illimitatas, & æquivalenter universales *satis est actum fidei semel in vita elicere: sufficit illa mysteria semel credidisse.* Doceat ubi sint; in locis enim citatis certissimè non inveniuntur. Quod si reperire non potest, nisi has definitas, limitatas, & particulares: *Ex necessitate medii satis est semel: Ex necessi-*

tate medii semel sufficit; quo jure affingit Tamburino utramque illam damnatam propositionem?

Hæc clarissima sunt, & ad refutandam imposturam sufficiunt. Nihilominus, ut cognoscant lectorer, me non defendere Tamburinum, nisi ubi defendendus est; hæc adiungo.

Tria docuit circa actum fidei Tamburinus, quæ rem nostram propius contingunt.

Docuit primo, Fideles numquam obligari PER SE, ET EX VI DIRECTA præcepti Fidei, ad credenda ea mysteria, quæ credenda sunt SOLA NECESSITATE præcepti. Et in hoc erravit; atque hæc doctrina damnata postea fuit in hac prima propositione Alexandri VII. *Homo nullo umquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Caritatis EX VI præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium*: & in hac 16. Innoc. XI. *Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundum se*. Neque aliam excusationem meretur Tamburinus, nisi quòd illud scripserit ante damnationem, veluti titubanter, & id EXPRESSE subiiciendo S. R. E. judicio. Audi ipsum lib.2. in Decal. cap.1. §.1. n.9. *Vel secundo*, inquit *sermo est de actu fidei* EX NECESSITATE PRECEPTI, *quo scilicet obligamur credere ea, quæ diximus num.5.* (ibi enumeravit credenda sola necessitate præcepti) *sane nondum obviam habui Doctores, qui mihi id explicando satisfecerint: unde omnibus perpensis*, SUBDENDO *tamen ut hoc, ita & omnia alia mea* S.R.E. *judicio, puto* PER SE ET DIRECTE *numqua obligari fideles ad credenda prædicta mysteria* EX VI *necessitatis præcepti Fidei*.

Docuit secundo, dari tamen obligationem PER ACCIDENS, & EX VI aliorum præceptorum, credendi illa mysteria SÆPISSIME. Ita enim statim subdit post recitata modo verba: SÆPISSIME *vero obligari* PER ACCIDENS, EX VI *aliorum præceptorum*. Tantum abest, ut negaverit OMNEM NECESSITATEM credendi plusquam

quam femel, ut negant illæ duæ propofitiones profcriptæ, quas ipfi affingit P. Concina. Quod fi SÆPISSIME eliciatur actus fidei, tametfi ex vi aliorum præceptorum, ut exigit Tamburinus, quod attinet ad praxim tuti fumus; tunc enim fatisfit cuicumque obligationi PER SE, ut in re fimili rectè concedit P. Concina inferiùs *pag.*342.

Docuit demum tertio in locis citatis a Patre Concina definitè & limitatè, EX NECESSITATE MEDII fatis effe femel credere. Sed numquam in iis locis docuit, ut oftendimus, propofitiones illas indefinitas, & illas Tamburino affingere dicimus effe impofturam.

CAPUT III.

Reftituitur fuæ integritati doctrina Thomæ Sanchez.

P. Concina Tom.1. pagina 65. in *Elencho propofitionum, quas recenfet ut damnandas.*

Et quidem in praxi exiftimo, numquam aut rariffimè denegandam abfolutionem ob doctrinæ chriftianæ ignorantiam; Quia ruftici ignorantes non habent commodè doctorem, NEC confeffor poteft illos inftruere, nec ipfi majorem addifcendi capacitatem habent. *Thomas Sanchez lib.2. fummæ cap.3. n.21. Hæc propofitio parum diftare videtur ab hac profcripta:* Abfolutionis capax eft homo, quamtumvis laboret ignorantia myfteriorum fidei.



THomas Sanchez fcripfit ET, non veroNEC; quamobrem commutatione unius particulæ commutata eft tota ejus fententia. Audi ipfum loco citato.

Et quidem in praxi exiftimo, numquam aut rarif-

fimè

ſimè denegandam abſolutionem ob doctrinæ chriſtianæ ignorantiam: quia ruſtici ignorantes non habent commodè doctorem, ET confeſſor poteſt illos inſtruere, nec ipſi majorem addiſcendi capacitatem habent.

Confeſſarium vero non tantum poſſe, ſed debere illos inſtruere, docet initio citati numeri his verbis. *Ex his deducitur, teneri confeſſarios interrogare poenitentes doctrinam chriſtianam, quoties probabiliter iudicari poteſt, fore, ut illam ignorent.*

Propoſitio igitur Conciniana, in qua commutatum eſt ET in NEC, parum diſtat a proſcripta: At propoſitio Sancheziana, in quà legitur ET, non NEC, mirum quantum a proſcripta diſtet. Etenim ſi Confeſſor per Patrem Sanchez ET poteſt, & debet ante abſolutionem tales ignorantes inſtruere; quomodo per P. Sanchez abſolutionis capax erit homo quamtumvis laboret ignorantia myſteriorum fidei?

CAPUT IV.

Reſtituitur ſuæ integritati ſententia Caſtropalai.

P. Concina Tom. 1. pag. 144.

Catholicus videns SACRAS IMAGINES CONTERI; CRUCIFIXUM CONTUMELIIS AFFICI, *tenetur ne ſuam fidem prodere*, SACRASQUE IMAGINES *a contemptoribus vindicare? Reſpondeo Pater Caſtropalaus Tract. 4. Diſput. 1. Puncto 12. num. 7. docet, ut etiam advertunt Salmanticenſes, teneri utique fidem profiteri, ſi confidat, hac ſua publica confeſſione compeſcendam fore infidelium proterviam, & impietatem: Secus vero ſi ex ſua confeſſione prævideat irritandos magis fore,* at-

atque in blasphemias erupturos contemptores. Hanc opinionem COMMUNITER *auctores rejiciunt*. SANCHEZ *lib.2. in Decal. cap.4. n.5....... Ratio est, quia tunc fides catholica despicitur; Deoque honor debitus subtrahitur per contrariam contumeliam. Ergo confitendæ fidei præceptum urget: ergo sua publica confessione tenetur, quoad fieri potest iniuriam Deo, &* SACRIS IMAGINIBUS *irrogatam propulsare.*



NOn refertur sincerè sententia Castropalai, & adiunctis iis, quæ sua non sunt, conflatur ipsi multo major invidia, quam mereatur. Castropalaus non loquitur de atroci casu, quo SACRÆ IMAGINES CONTERANTUR, quo CRUCIFIXUS AFFICIATUR CONTUMELIIS, ut persuasum lectoribus relinquit P. Concina. Quo casu certè magis invidiosum esset negare, etiam sub conditione adiecta, obligationem vindicandi sacras imagines a contemptoribus, & subducendi Crucifixum a contumeliis. Sed loquitur de casu, quo detur simplex irrisio fidei, quæ contraria laudatione compensari possit. Et tunc negat obligationem laudandi fidem, si ex tali laudatione timeantur secutura graviora crimina; idest si timeatur, IRRISORES magis irritandos fore, & in blasphemias erupturos. Quæ negatio, ut per se patet, multo minus invidiæ continet. Audiamus ipsum tractatu & disputatione citatis, puncto 13. (non 12. ut citat P. Concina) num.7.

Tertio, inquit, *si videas* FIDEM IRRIDERE, *& absque tuo gravi incommodo possis* IRRIDENTES *compescere, vel fidem laudare, teneris id præstare; quia tunc laudatione videtur irrisio facta diminui, & quasi compensari. Quod si timeres, irrisores ex tua laudatione magis irritandos fore, & in blasphemias processuros; non credo, te esse obligatum, siquidem cessat finis, ob quem tua lau-*

da-

datio præcipitur, qui eſt fidei chriſtianæ excellentiam promovere.

Igitur Caſtropalaus luquitur de ſimplici IRRISIONE. P. Concina ſubſtituit SACRAS IMAGINES CONTRITAS, & CRUCIFIXUM CONTUMELIIS AFFECTUM. Caſtropalaus diſputat de obligatione LAUDANDI fidem. P. Concina ſubſtituit obligationem VINDICANDI SACRAS IMAGINES & CRUCIFIXUM. Et deinde jactabit ſæpenumero, ut videbimus in hujus opellæ decurſu, ſe integrè & ſincerè referre ſententias Jeſuitarum.

Fallitur deinde, & lectores ſuos fallit P. Concina, dum dicit opinionem Caſtropalai COMMUNITER ab auctoribus rejici, & nominatim a P. Sanchez. Pater Sanchez loco citato ne verbum quidem habet, quo rejiciat prædictam opinionem. Immo num.3. habet aliquid, quod nonnihil favet. Ita enim ſcribit.

Quando autem ex publica confeſſione fidei NULLA UTILITAS *ſperatur, ſed ſola infidelium perturbatio, non eſt laude digna. Sic D. Thomas 2.2. quæſt.3. artic.2. ad 3. Immo vituperio eam dignam eſſe merito aſſerunt Angelus, Sylveſter, Tabiena, Armilla numero præcedenti allegati: atque temerariam illam appellat Toletus lib.4. ſummæ cap.2. num.4.*

CA-

CAPUT V.

Vindicatur ab impostura P. Fagundez.

P. CONCINA Tom.1. pag.217.

Daturne materiæ parvitas, quæ legentem hæreticorum libros ab excommunicatione excuset?....... Fagundez EXTENDIT *hanc materiæ parvitatem ad paginam* CUM DIMIDIA.



LIberalitas Patris Concinæ erga Patrem Fagundez extendit illam materiæ parvitatem ad paginam cum dimidia. Cæterum Pater Fagundez extendit ad UNICAM TANTUM PAGINAM. En ejus verba in primum præceptum Decalogi lib.1. cap.14. num.4.

In assignanda parvitate materiæ maior est difficultas: in quà mihi magis placet sententia Sanchez, Emmanuelis Rodriguez, Vivaldi, & Sà; asserentium esse UNAM SOLAM PAGINAM.

CAPUT VI.

Vindicatur ab iniusta criminatione P. Moya.

P. Concina Tom. 1. pag. 339.

Præterire hic minime valeo IMPOSTURAM, *quam P. Moya tract.6. disp.6. quæst.1. §.2. & 3. impingit Magistro Bannez, qui conceptis verbis docet, mandatum caritatis speciale esse, pluries in vita urgere, & potissimum splendente primo rationis lumine. Deinde subdit, difficile satis esse tempora definire præcisa, in quibus urget. Putat tamen eos, qui sumunt Eucharistiam semel in anno implere præceptum istud. Cujus sensus non est, ut* CAVILLATUR *Moya, quod sumptio ipsa Sacramenti sit observantia præcepti. Sed quod fieri vix potest, ut fideles accedant ad hoc divinum convivium, quod ultimum & supremum est divini in nos amoris argumentum, quin redament Deum illum, qui se in eorum alimentum præbet.*



Affero prius textum Magistri Bannez; tum videbimus, an justa sit criminatio. Ita igitur scribit 2. 2. *quæst.44. artic.1. Dub.1. conclusione* 3.

Nihilominus Dico 2. quod sine scrupulo credi potest, quod qui dignè sumit Eucharistiam semel in anno, adimplet simul speciale præceptum Caritatis.

Præmisso textu Dico, sensum Magistri Bannez ipsum esse, quem illi attribuit Moya; non vero quem piè meditatus est P. Concina.

I. Quia

I. Quia verba Bannezii, si in sua propria significatione sumantur, favent Moyæ, non Patri Concinæ. Significant enim propriè solam sumptionem: & neque propriè neque æquivoce significant amorem, qui juxta P. Concinam vix separari potest a sumptione.

II. Quia pia meditatio Patris Concinæ nullo nititur fundamento. Quod enim Bannez doceat, mandatum Caritatis speciale esse, & sæpius in vita urgere, nihil evincit. Contenditur enim, sensum Magistri Bannez hunc ipsum esse: *Quamvis mandatum caritatis speciale sit, & pluries in vita urgeat: NIHILOMINUS sumptio Eucharistiæ semel in anno supplere potest & compensare dilectionem præceptam, & mandati obligationem extinguere.* Atque fermè in hunc modum exposuit hanc sententiam Magister Serra Dominicanus infra citandus.

III. Quia si Bannez habuisset in mente sensum excogitatum a Patre Concina; illum certissimè Lectoribus explicasset. Poterat enim, & debebat. POTERAT; & quidem nullo negotio, & paucissimis verbis, ut est evidens. DEBEBAT; ne scilicet in re tanti momenti lectores dubios incertosque relinqueret, quid tandem ipsis agendum foret, ut Maximum & primum mandatum observarent. Nimirum num sufficeret sumere Eucharistiam semel in anno, ut ejus verba præseferunt? an ad sumptionem adiungendus præterea esset amor? quod ipse nusquam dixit. Quamobrem cum se explicare potuerit, debuerit, & ne verbum quidem fecerit; consequens est, ut de Conciniano illo sensu non cogitaverit.

IV. Demum, Quia Petrus de Ledesma perdoctus Dominicanus, quem citatum secutus est Moya, intellexit Bannezium eodem sensu. Audi ipsum in summa a P. Raymundo Ladesou ejusdem ordinis latinè reddita: ubi *parte 2. tract.3. cap.5.* hæc habet.

Sexta sententia asserit, eum, qui dignè sumit Eucharistiam semel in anno, adimplere simul speciale præceptum Caritatis. Ita sentit M. Bannez loco citato S. Thomæ. Sed

 hic

hic modus dicendi videtur mihi valde difficilis; quia præceptum de diligendo Deo longè diversum est a præcepto SUMENDÆ *Eucharistiæ. Ergo per ejus* SUMPTIONEM *non adimpletur præceptum caritatis.*

His positis, ubi est IMPOSTURA Moyæ, & CAVILLATIO? Nempe in eo; quod verba Magistri Bannez accipiat in sua propria significatione: quod non subintelligat piam meditationem P. Concinæ, quam Bannez non adiunxit, & adiungere potuisset, ac DEBUISSET, si in mente habuisset sensum, quem P. Concina meditatus est: Quod non adhibeat interpretationem nullo fundamento suffultam: Demum, quod in interpretatione Bannezii exemplum atque auctoritatem Ledesmæ Dominicani secutus sit. Utrum justa sit criminatio, lectores judicent.

Addo Magistrum Serra Dominicanum 2. 2. *quæst.*44. in fine referre, & non REJICERE sententiam Magistri Bannez his verbis. *CERTUM est præceptum caritatis obligare, ut pluries in discursu vitæ actum dilectionis Dei, & Proximi eliciat homo. Sunt* NIHILOMINUS, *qui dicant absque scrupulo credi posse, præceptum caritatis adimplevisse eum, qui semel in anno quolibet Eucharistiam sumpsit.*

Quare immerito P. Concina Tomo 1. pag.285. & seqq. acerbas declamationes intorquet contra P. Vivam, quia sententiam Bannezii & Serræ in eundem sensum accepit, in quem illam multo ante ipsum acceperat Ledesma insignis sane Theologus ejusdem Ordinis. Sed Ledesma, cujus auctoritatem duo illi Jesuitæ secuti sunt, a P. Concina ne nominatur quidam. Moya traducitur ut IMPOSTOR: Viva declamationibus exagitatur. Succenseat primùm fontibus P. Concina; tum de rivulis cogitet. Sed hoc monito nimium sæpe indiget, ut videbimus, in hac sua Christiana Theologia.

CA-

CAPUT VII.

Restituitur suæ integritati sententia Tamburini.

P. CONCINA Tom.1. pag.458.

Duo Religiosi ejusdem Coenobii orta rixa omittunt consuetam salutationem; peccantne mortaliter? Resp... Adfirmant Tamburinus lib.5.cap.5.§.3. num.13. Sporer Tract. 2. cap.6. sect.2. num.30. ADDIT *Tamburinus, cui de more subscribit Sporer, excusari illos posse a culpa gravi, si* PROBATA EORUM VIRTUS COMPERTA ESSET. *Verum suspecta mihi evaderet eorum virtus vel ex hoc, quod mutua ejusmodi consueta officia omitterent. Brevitas temporis,* LEVITASQUE DISSIDII, *&* ALIÆ CIRCUMSTANTIÆ *possunt interdum a gravi excusare culpa.* PROBATA INIMICORUM VIRTUS SATIS MINIME EST *ad purgandam a crimine ejusmodi omissionem.*



SI Tamburinus legatur in Tamburino, non modo apparebit, satis truncatè referri ejus doctrinam; verum etiam, quod majus EST, ipsum cum P. Concina mirificè consentire.

Minimè satis est P. Concinæ probata inimicorum virtus: neque probata inimicorum virtus satis est Tamburino. Postulat præterea Pater Concina levitatem dissidii, levitatem dissidii postulat & Tamburinus. Alias quoque circumstantias exigit Pater Concina; Alias item circumstantias exigit Tamburinus. Audiamus ipsum loco citato. Ex-

Excusari, inquit, *a mortali tunc possent, quando comperta esset horum probata virtus*; (Nunquid hoc tantum? Si audiamus P. Concinam, hoc tantùm: hoc enim tantùm retulit. Sed pergamus audire, quæ truncata sunt) ET RIXA; EJUSQUE CAUSA FUISSET LEVIS (en levitas non modo dissidii, ut postulabat P. Concina, sed etiam CAUSÆ DISSIDII, quod est aliquid amplius.) *Unde judicentur*, NON EX ODIO GRAVI, SED EX LEVI QUADAM PASSIONE, VEL IN SIGNIFICATIONEM ACCEPTI GRAVAMINIS ET INIURIÆ (en aliæ circumstantiæ) *moveri ad omittendam salutationem. Idem usuvenire posse video in timoratis sæcularibus* LEVI CAUSA (en rursum levitas) *rixæ existente*.

Clamamus ne iniuria, truncatas referri Jesuitarum sententias?

CAPUT VIII.

Vindicatur ab artificiosa impostura quæ est in indice, idem Tamburinus.

In Indice Tom. I. V. *Tamburini*.

Aliæ ejusdem (propositiones) laxæ pag. 17. ALIÆ ITIDEM LAXÆ, pag. 463.



QUi legunt relata Conciniani indicis verba, sine dubio sibi persuadebunt, Tamburinum docuisse non DUAS propositiones laxas, sed DUAS catervas propositionum laxarum; quarum altera recenseatur a P. Concina pagina 417: altera vero pagina 463. Atqui sciant lectores, ut ipsi videre possunt, unam, eamdem, atque ipsissi-

ſimam eſſe Tamburini doctrinam, quam P. Concina retulit primo loco, & repetiit ſecundo; in eo ſitam, quod putarit probabilem falſam quamdam opinionem Caſtropalai.

Si una eademque Tamburini doctrina reponatur ſæpius in indice, & repræſentetur ut alia ſemper, & diverſa; index laxitatum contra Tamburinum excreſcere hac arte poterit in integram bibliothecam. Hoc autem vitium in indicibus non ſemel a me deprehenſum eſt, & alia quædam exempla referam in decurſu.

CAPUT IX.

Vindicatur ab impoſtura P. Matthæus Moya.

P. Concina Tomo 2. pagina 4. *in catalogo propoſitionum, quas recenſet ut damnandas.*

Nemo EX NECESSARIIS AD SUUM STATUM *conſervandum tenetur eleemoſinam pauperibus elargiri*, ETSI EXTREMA NECESSITATE LABORENT. *P. Matthæus Moya Tomo 1. tract.6. diſp.6. quæſt.4. §.3. num.21.*



HÆc eſt manifeſtiſſima impoſtura. Tantum abeſt, ut P. Moya doceat propoſitionem, quam P. Concina recenſet ut damnandam, ut diſertiſſimè doceat contradicentem. En ejus verba *Tomo 1. tract.6. diſp.6. quæſt.4. §.5.* non 3. *num.23*, non 21. ut citat P. Concina.

Præceptum eleemoſinæ obligare IN EXTREMA NECESSITATE *ad ſubveniendum Proximo* EX NECESSA-

SARIIS AD STATUM *etiamsi ex eo patiaris grave damnum in dignitate & fastu externo, est communis Doctorum sententia, &* VERISSIMA.

Quid clariùs?

CAPUT X.

Vindicatur ab impostura Pater Baunius.

P. Concina Tomo 2. pag.100.

Baunius loco citato (Tomo 3. lib.2. tract.9. quæstione 4.) cum Lessio, & uno aut altero recentiore laxissimam INVEXIT *opinionem. Contendit præceptum elargiendi reditus ecclesiasticos superfluos in pios usus esse dumtaxat ecclesiasticum; quod contraria valeat consuetudine abrogari. Quare defendit, beneficiarios tum in Gallia, tum in Hispania non validè modo, sed etiam licitè testari de rebus superfluis in usus non pios.*



INVEXIT? Hæc est impostura. Verbum enim illud INVEXIT significat, Baunium fuisse illius opinionis inventorem, vel saltem antesignanum. Quod est falsissimum; siquidem multis annis ante ipsum ab aliis Doctoribus, & quidem non exigui nominis, traditam ipse postea amplexus est. Seligo duos.

Covarruvias Hispanarum certè consuetudinum peritissimus, in C. *Cum in offic.* de Testam. num. 7. hæc habet. *Ad hæc accedat etiam, quod prohibitio testandi clericis indicta est* JURE HUMANO.... *Alioqui si jure divino esset prædicta prohibitio inducta*, NON POSSET PERMITTI ULLO PACTO DISPENSATIO ROMANI PONTIFICIS.

Et

Et num. 9. loquens de consuetudine hæc habet: *Quoties animadverto; reditus hos Ecclesiasticos, de quibus agitur, a Canonibus Ministris Ecclesiarum adsignari separatim ab aliis bonis, quæ Ecclesiis conceduntur ad ædificia, vestes, aliaque necessaria: quoties video, ac memoria repeto, hanc testandi prohibitionem* JURE HUMANO *statutam fuisse; non possum* CONSUETUDINEM PRÆMISSAM *damnare; quippe qui certo sciam,* ROMANUM PONTIFICEM, *Ecclesiæ Principes, totiusque Orbis Christiani consensum vel applausum eam probare, saltem tacitè, ut inde conjecter sæpissimè, rem istam* SUMMUM PRÆSULEM, *ac* CARDINALES, *Episcopos, Cæsarem, & Reges cogitasse, & huic usui consensum præstitisse: cum nulla possit causa proponi, cur mores istos* TOT ANNIS *jam convalescentes intactos dimiserint, ni eos proprio consensu probassent. Si sane Carolus Cæsar Hispaniarum Rex anno* 1523. *Comitiis totius Regni Pintiæ habitis* c. 47. *jussit, hanc consuetudinem uti legitimè inductam servari. Idem* APUD GALLOS COMMUNI USU *observatum est, ut præter alios testatur Glossa in pragmaticam Sanctionem tit. de Annatis.*

Et tandem loquens de vi hujus consuetudinis eodem numero 9. prope finem hæc habet. *Hæc consuetudo idem efficit, quod Principis licentia & Privilegium .....* SED PAPA POTEST PRIVILEGIO HANC LICENTIAM EXHIBERE. *Igitur consuetudo ista totius Orbis poterit idem efficere: cum & consuetudo* LEGI HUMANÆ *deroget.*

Et pro hac sua Sententia, quæ est ipsissima, quam exscripsit Baunius, allegat alios Doctores antiquiores se.

Garcias de Beneficiis Parte 2. cap. primo num. 11. & 12. statuit primum, beneficiatos Episcopis inferiores propter prædictam consuetudinem posse testari *validè* his verbis. *Tertio dico, ex consuetudine posse beneficiatum testari de acquisitis ex beneficiis, quæ consuetudo est in Hispania quoad Clericos Episcopis inferiores, nempè quod*

possint de illis testari, & eis ab intestato succedi...... Et hæc consuetudo est approbata per Rotam in una Palentina fructuum Archipresbyteratus de Portillo 26. Februarii 1580. coram Illustrissimo Lancelloto

Deinde num.13. movet difficultatem, utrum possint testari licitè, & refert Auctores negantes his verbis. *Difficultas est, an stante dicta consuetudine possint Beneficiati LICITE testari etiam ad usus profanos, eaque relinquere consanguineis, etiam divitibus; an verò debeant testari ad usus pios tantùm; aliàs peccent mortaliter. Et non posse licitè testari ad usus profanos, aliàs peccare mortaliter, si in notabili quantitate id faciant, quamvis testamentum valeat, & ex eo acquiratur dominium maximè in foro exteriori; tenent Cosmas... Avendann.... Molin. &c.*

Demum num. 16. prodit sententiam suam affirmantem his verbis: *Contrarium tamen verius existimo; nempe* STANTE DICTA CONSUETUDINE, *posse Beneficiatum licitè testari etiam ad usus profanos, & relinquere dicta bona consanguineis divitibus; eamque consuetudinem in conscientia excusare, nam dicta consuetudo non est contra jus divinum, aut naturale, sed contra* JUS HUMANUM, *quo inducta est prædicta prohibitio testandi.*

Et pro hac Sententia affert deinde tredecim Doctores, qui ante ipsum eam tradiderunt.

Jam verò Covarruvias in editione Veneta, quam utor, impressus est anno 1568. Garcias in editione Moguntina impressus est anno 1614. Baunius impressus est Parisiis anno 1645.; Nempe 77. annis post Covarruviam, & amplius 30. annis post Garciam. Nihilominus Baunius INVEXIT.

Sciant Lectores, hoc esse artificium Patri Concinæ familiarissimum; ut de iis sententiis disputans, quas ipse laxas appellat (quas autem ex iis, quæ libertati favent, non appellat?) quamvis a magnis plurimisque Doctoribus,

bus, nec raro Dominicanis, tradantur: nihilominus vel pro illis solos Jesuitas producat; vel solos Jesuitas nominatim insectetur, solos in legentium oculis conetur infigere, tamquam si essent earum Sententiarum fundatores, unici defensores, vel Primipili. Quod artificium cum in allato nuper exemplo satis elucet; tum ex iis, quæ consequentur, manifestius fiet. Quod quidem, utrum aptè cohæreat cum ea vacuitate a studio partium, quam tantopere jactat, & credi vellet; alii viderint.

Utrum vero relata Baunii, vel potius Covarruviæ, Garciæ, aliorumque sententia mereatur notam LAXISSIMÆ: Utrum argumentum petitum a dispensatione Pontificum P. Concina rite solvat respondendo, Pontifices multa concedere aut errore deceptos, aut importunitate victos; ad institutum meum non pertinet; aliis judicandum relinquo.

CAPUT XI.

Vindicatur ab impostura P. Sanchez.

P. Concina Tom.2. pag.165.

Licitumne duellum est ad evitandum periculum vitæ, honoris, aut fortunarum? Respondeo. Non modo acceptare licitè duellum, ad ejusmodi declinanda mala; verum indicere etiam te illud posse docent ...... SANCHEZ *lib.2. in Decalogum cap.39. num.8.*

Et pagina sequenti hæc subdit.

Excusandi tamen sunt perdocti Salmanticenses de re theologica optime meriti, mihique variis titulis magnopere colendi, quod ante damnatam propositionem scripserunt, & quod A SANCHEZ PRIUS TRADITAM DOCTRINAM *acceperint.*

HÆc est impostura, & quidem nimis evidens. P. Concina dicit, Sanchezium docere propositionem affirmantem; & Sanchez non poterat disertiùs, & apertiùs docere negantem. En ejus verba loco citato.

Tertia causa est defensio vitæ propriæ. & ob hanc causam NON LICET *sponte duellum acceptare. Quia etsi liceat vim vi repellere se ab invasore defendendo, etiam eum necando, quando aliter vita defendi nequit: at hoc non est duellum; sed quando ex condicto sponte indicitur, aut acceptatur certamen: quod non est vitam defendere, sed eam periculo exponere.*

Et num.9. loquens de defensione honoris, ita pergit.

Quarta causa est defensio proprii honoris..... At dicendum est, HANC NON ESSE JUSTAM ACCEPTANDI DUELLI CAUSAM; *SED ESSE* CULPAM MORTALEM ACCEPTARE.

Pro defensione fortunarum quæstionem non tractat. Nec dubito quin, si tractaret, negaturus esset. Qui enim negat esse licitum indicere, aut acceptare duellum pro defendenda vita, & honore; multo magis negaret pro defendendis fortunis.

Quod ait P. Concina, excusandos esse perdoctos Salmanticenses, quod doctrinam A SANCHEZ PRIUS TRADITAM acceperint: præterquamquod est falsissimum, ut modo vidimus; cur non excusat similiter Jesuitas, quòd permultas doctrinas, quas insectatur, A THOMISTIS PRIUS TRADITAS acceperint; quod a me, cum se dabit occasio, palàm fiet?

CA-

CAPUT XII.

Restituitur suæ sinceritati Sententia PP. Vasquez, Azorii, & Lessii.

P. Concina Tom.2. pag.277.

*Licitum ne est domos, & vestes locare meretricibus, & usurariis? Respondeo. Adfirmant communiter Recentiores: Sanchez lib.*1. *in Decal. cap.*7. *num.*2. (Scribendum erat 20.). AZORIUS *lib.*12. (Præmittendum erat Parte 2.) *cap.*18. *quæst.* 3. VASQUEZ *Opusculo de Scandalo quæst.*43. *art.*8. *dub.*5. *num.*48. (Scribendum erat 38.) ..... LESSIUS *lib.*2. *cap.* 14. (Scribendum erat 24.) *dub.*7. ..... *Tamburinus lib.*5. *in Decalogum* §. 4. *num.*34. Etiam nulla, *inquit*, excusante causa. Excipiunt tamen communiter, nisi Domus magis apta esset ob situs conditionem ad peccandum, & ad homines alliciendos; & vicinitas meretricis multùm noceret honestis feminis in vicinia commorantibus. Nam tunc requiritur causa, qualis certè sufficiens esset, non posse aliis honestioribus locari; *Concludit Tamburinus loco citato*. AUDISTIN'? ETIAMSI DOMUS HÆC APTIOR SIT AD EXERCENDUM MERETRICIUM; ETIAMSI LOCATIO DOMUS, ET MERETRICIS HABITATIO MULTUM NOCERET HONESTIS FEMINIS IN VICINIA COMMORANTIBUS; *licitum est talem Domum* IN HIS CIRCUMSTANTIIS *meretricibus locare*. HOC EODEM MODO *loquitur Diana loco citato cum Sanchez* ALIISQUE LAUDATIS JUNIORIBUS.

Inter



INter laudatos Juniores sunt etiam hi tres, VASQUEZ, AZORIUS, & LESSIUS. Porro falsissimum est, tres istos loqui EODEM MODO, ac loquitur Tamburinus. Nemo enim istorum docet, NON POSSE ALIIS HONESTIORIBUS LOCARI, esse causam sufficientem locandi domum meretrici, ETIAMSI DOMUS HÆC APTIOR SIT AD EXERCENDUM MERETRICIUM; ETIAMSI LOCATIO DOMUS, ET MERETRICIS INHABITATIO MULTUM NOCERET HONESTIS FEMINIS IN VICINIA COMMORANTIBUS.

Quod attinet ad P. Vasquez, ne verbum quidem habet de honestis feminis in vicinia commorantibus, & de damno ipsis obventuro ex inhabitatione proxima meretricis; ut patebit legentibus illud dubium quintum, quod non rescribo ob nimiam prolixitatem:

Quod attinet ad Azorium, non solùm nihil habet de prædictis circumstantiis, sed satis clarè indicat oppositum. En ejus verba loco citato.

Tertio quæritur, an sit licitum locare Domum meretrici IN EA PARTE URBIS, UBI MERETRICES HABITARE PERMITTUNTUR? *Nam id videtur occasionem præbere peccandi. De hoc dubio Navarrus cap.17. num.195. & Major 8. dist.15. quæst.35. Respondeo id esse licitum, dummodo non locetur illi Domus ad meretricium.*

AUDISTIN'? Docet, licitum esse locare Domum meretrici IN EA PARTE URBIS, UBI MERETRICES PERMITTUNTUR, & non docet aliud. In ea autem parte Urbis locum non habet circumstantia Domus aptioris; nec circumstantia vicinitatis honestis feminis nociturae.

Quod attinet ad Lessium; ipse quoque non modo nullam mentionem facit de illis circumstantiis; sed indicat potius contrarium. En ejus verba loco citato.

Unde

Unde sequitur, non esse peccatum, SI ALIAS ABSIT SCANDALUM, *elocare Domum meretrici; si multæ aliæ Domus æquè* COMMODÆ *non sint ei defuturæ: vel si expedit Urbi ad majora mala vitanda illas permitti.*

AUDISTIN'? Docet, posse locari Domum, SI ABSIT SCANDALUM, ET SI ALIÆ DOMUS ÆQUE COMMODÆ NON SINT DEFUTURÆ. Et non docet aliud. Porro si Domus hæc esset aptior, aliæ Domus non essent æquè commodæ. Et si vicinitas nocitura esset honestis feminis, scandalum non abesset.

Cur ergo P. Concina affirmat sine ullo discrimine, atque exceptione, LAUDATOS ALIOS JUNIORES loqui EODEM MODO cum Tamburino?

CAPUT XIII.

Vindicatur ab impostura P. Layman.

P. CONCINA Tom.2. pag.417.

Beneficiarius omittens Officium Divinum uno, aut altero die, vel per octo aut decem dies, tenetur ne restituere fructus respondentes tali tempori? Respondeo. Negant plures recentiores Probabilistæ. PAULUS LAYMAN *tract.7. cap.5. num.1. Bartholomæus Medina .... Joannes de la Cruz .... Ludovicus Lopez .... & alii non pauci.*

****

PArcant Lectores, si sæpius utor hoc vocabulo. Nam & dico, quod res est: & illo eodem utitur P. Concina, quando putat ab Auctoribus societatis aliquid falsi attributum esse Scriptoribus sui Ordinis.

Hæc igitur est evidens impostura. Layman non mo-

do

do non liberat Beneficiarios a dicto onere restitutionis: Non modo illud acriter tuetur : sed enucleatè , ac minutatim explicat obligationem , & modum restituendi; & quidem innixus iis constitutionibus Concilii Lateranensis , & S. Pii V. , quibus P. Concina pugnat contra Laymannum , quem sibi hostem fingit.

Audiatur Layman non Tract.7. cap.5. num.1. ut citat P. Concina: hoc enim in loco Layman nihil habet de hujusmodi quæstione: sed lib.4. Tract.2. cap.5. ubi sic loquitur.

Beneficiatus post primum semestre Canonicas Horas dicere omittens ante Judicis sententiam RESTITUERE TENETUR FRUCTUS TEMPORI NEGLIGENTIÆ CORRESPONDENTES ; *eo pacto , ut si v. g.* 360. *annuos aureos ex beneficio uno , vel pluribus percipiat,* UNUM AUREUM *in* USUM *pium erogare cogatur ob integrum* UNIUS DIEI *intermissum Officium* : DIMIDIUM AUREI *vero ob intermissum Officium* MATUTINUM CUM LAUDIBUS . *Ita habetur in dictis Constitutionibus* CONCILII LATERANENSIS, *&* PII *V. & consentiunt Doctores communiter contra Sylvestrum Verbo Clericus* 4. *quæst.*23. *Etsi vero Sotus lib.*10. *quæst.*5. *art.* 6., *Covarruvias* 3. *Resolut. cap.*13. *num.*10. *in fin. quibus favent Bartholomæus Medina citato §.* 11. *Lopez part.* 2. *Instructorii cap.*95. *in ea opinione fuerint , quod Beneficiatus uno , aut altero anni die Officium Canonicum prætermittens ad nullam fructuum restitutionem obligetur ; quia neque pius , & clemens Dominus de salario famuli detrahit ob unius vel alterius diei neglectum servitium , si reliquo toto anno , sicuti oportebat , præstitum fuit : reliqui tamen Doctores fere communiter repugnant. Quia in Constitutione Pii V. clarè exprimitur , non tantum* OB UNIUS DIEI , *sed etiam* UNICÆ HORÆ *culpabilem officii omissionem restituendi obligationem* PRO RATA *incumbere*.

His vero positis Laymannus certè hic non eget excusa-

cusatione; cum non defendat Sententiam ipsi a P. Concina affictam; sed contrariam. Si tamen egeret, in promptu esse posset excusatio Salmanticensium; quod Doctrinam a Sylvestro, Soto, Medina, Lopez Dominicanis priùs traditam acceperit.

CAPUT XIV.

Restituitur suæ sinceritati alia sententia ejusdem Laymani.

P. Concina Tom.1. pag.426.

Nec minorem laxitatem prodit, quod subdit Leander ex Bonacina, LAYMANO, *& aliis; posse nempe* (Beneficiarium obligatum ad restitutionem) *extendere hanc fructuum applicationem* AD SORORES, FRATRES, ET MATREM, *non solùm si sint mendici, sed etiam si necessariis* AD DECENTIAM PERSONÆ, ET STATUS *careant.*

****

EGo nescio ex quo Laymano P. Concina hæc eliciat. Verus Layman loco supra citato, ubi hujusmodi quæstiones tractat, ne verbum quidem habet de SORORIBUS, FRATRIBUS, MATRE; & multo minus de invidiosa illa conditione adjecta; NON SOLUM SI SINT MENDICI, SED ETIAM, SI NECESSARIIS AD DECENTIAM PERSONÆ, ET STATUS CAREANT. Sed solùm docet, si Beneficiarius pauper sit, fructus restituendos applicari IPSI posse per modum eleemosinæ: monens præterea, consultum fore in tali casu, ut Confessarius aliquam aliam satisfactionem ipsi imperet;

v. g. ut pro defuncto Beneficii fundatore preces fundat, vel Sacrum faciat. En ejus verba.

Illud rectè admonet Navarrus Cap. 7. de Orat. num. 34., aliique sequuntur; si ipse Beneficiatus pauper sit, tunc fructus restituendos eidem per modum eleemosinæ applicari posse. Tametsi consultum erit hoc casu, si Confessarius aliam similem satisfactionem imperet; v.g. ut oret, vel sacrificet pro defuncto fundatore: sicuti monet Suarez citato cap.30. num.19.

Nec amplius quidquam addit quod ad hanc rem pertineat. Ubi, quæso, hic sunt SORORES, FRATRES, ET MATER?

CAPUT XV.

Restituitur suæ sinceritati Sententia P. Vasquez.

P. Concina Tom.1. pag.480.

Peccat ne mortaliter, qui BREVIUS *loco* LONGIORIS *Officium recitat?.... Quæstio est, utrum peccatum mortale sit* ABSQUE CAUSA, SED EX SOLA QUADAM ACIDIA, *ut inquiunt Salmanticenses*, SESE CITIUS EXPEDIENDI CAUSA, *propria auctoritate permutare Officium* LONGIUS IN BREVIUS, *puta recitare Officium de aliquo Sancto loco Officii de feria, vel Dominica, & non tantum bis, vel ter, sed* QUOTIES LIBUERIT. *Hanc defendunt* (nempe non esse mortale) *plurimi docti juniores...... Lessius lib.2. cap.73.* (scribendum erat *cap.37. Dubit.12.*); *Valentia Tom.3.* (addendum erat, *Disput.6. quæst.2. punct.10.*; VASQUEZ *de benefic. cap.4. §.1.* (scribendum erat *dub. 2.* non *§.1.*) *Azorius lib.10. cap.10. quæst.2.....*

Vas-



VAsquez igitur, si Patri Concinæ habenda est fides, docet, peccatum mortale haudquaquam esse, commutare Officium LONGIUS IN BREVIUS; commutare ABSQUE CAUSA; commutare EX SOLA ACIDIA, UT CITIUS SE QUIS EXPEDIAT; commutare QUOTIES LIBUERIT. Verùm ut omnia secus!

Primùm P. Vasquez non loquitur de permutatione Officii LONGIORIS IN BREVIUS, sed Officii DE TEMPORE in Officium DE FESTO: Porro officium de Festo potest esse aliquando longius; multa enim Officia novem Lectionum longiora sunt Officiis Feriæ tertiæ, & Feriæ quartæ. Atque eodem modo loquuntur alii tres Jesuitæ citati Lessius, Valentia, Azorius; apud quos nusquam voces illas invidiosas reperies LONGIUS IN BREVIUS.

Deinde P. Vasquez non docet, illam permutationem fieri posse ABSQUE CAUSA, & multo minus EX SOLA QUADAM ACIDIA, UT CITIUS QUIS SESE EXPEDIAT, sed RATIONABILEM CAUSAM discretissimè postulat.

Præterea non docet fieri posse QUOTIES LIBUERIT; sed solùm ALIQUANDO.

Postremo talem permutationem his etiam conditionibus factam non liberat a peccato mortali omnino affirmatè, sed veluti subdubitans, & titubanter. En verba.

An liceat Officium mutare, ut fiat de FESTO, *quando de* TEMPORE *erat dicendum? .... si* ALIQUANDO EX RATIONABILI CAUSA *id fiat*, NON AUDEREM *peccati mortalis damnare. Sed si* SINE DELECTU *fieret, &* COMMUNITER; *non auderem etiam a culpa mortali, & restitutione immunem efficere, & asserere.*

Conferant, quæso, Lectores Vasquesii verba cum sententia descripta a P. Concina, & utrum jure illa attribuatur Vasquesio, ipsi sint Judices.

Quam tamen non docuit Vasquez, docuit apertissimè Sylvester Dominicanus in Summa V. *Hora quæst.12.* his verbis. *Si fiat* IN FRAUDEM, *ut dicatur Officium* BREVIUS; *secundum Archidiaconum non est absque gravi peccato. Non tamen intelligas, quod sit* MORTALE, *quia determinatum Officium non est in præcepto*.

Si quis auctor societatis hæc scripsisset, clamaret statim P. Concina, ipsum docuisse propositionem damnatam „ *In die Palmarum recitans Officium Paschale satisfacit præcepto* „ vel saltem, ut ejus verbis utar, sororem, aut consobrinam damnatæ.

CAPUT XVI.

Vindicantur ab impostura Pellizarius, & Sanchez.

P. Concina Tom.2. pag.487.

Quæ causa requiritur, ut licitè quis anticipare, vel postponere recitationem precum Canonicarum possit? Respondeo. Convenit penes Theologos ferme omnes, culpam venialem perpetrare eum, qui vel nimium anticipat, vel postponit Officium divinum; puta, si recitares PRIMAM *tempore* COMPLETORII, *vel* CONTRA... PELLIZARIUS *Tomo primo tract. 5. cap. 8. sect. 2. quæst. 21. num 103. cum* P. SANCHEZ *contendit*, SOLAM MAJOREM COMMODITATEM *sufficere, ut quis valeat vel anticipare, vel differre Officium divinum. Verum hæc opinio* FALSA, ET LAXA EST CONTRA COMMUNEM DOCTORUM SENSUM.



HÆc est manifestissima impostura. Neque Pellizarius, neque Sanchez loquitur de ANTICIPATIONE, quam ipsis affingit P. Concina; nimirum de anticipatione, qua quis recitet PRIMAM tempore COMPLETORII, vel CONTRA. Cujus anticipationis si contenderent justam causam esse SOLAM MAJOREM COMMODITATEM; eorum opinio falsa, & laxa esset, ac contra communem Doctorum sensum.

Verum loquuntur de ANTICIPATIONE longè diversa; de ea scilicet, qua quis recitet pridie, & quidem hora debita, Matutinum diei sequentis. Et ad hanc anticipationem dicunt sufficere SOLAM COMMODITATEM. Quæ opinio verissima est, & communi Doctorum sensui consentanea. Habeatur fides eorum verbis.

Pellizarius loco citato ita loquitur. *Dixi, excepto Matutino: Quia quod attinet ad recitationem Matutini & Laudum; ex Romana consuetudine ubique recepta, ea possunt recitari tam æstate, quàm hyeme post Vesperas, & Completorium diei præcedentis publicè recitatas: quod est dicere ab hora quarta post meridiem, qua ea solent esse recitata etiam æstate, & ubique. Ita Tiber. quæst. 95. ex S. Thoma, Bellarmino, Suario, Filliuc. Reginal. Vasquez, Lessio, & Comitolo; qui lib.1. cap.50. num.4. dicit, horam congruam recitandi Matutinum cum Laudibus esse, cum Sol magis distat a meridie, quam ab occasu. Unde Vere, & Autumno, idest Martio & Aprili in Vere; Septembri, & Octobri in Autumno tempus recitandi Matutinum coincidit cum hora 21. horologii solaris: Æstate autem, idest Majo, Junio, Julio, & Augusto cum hora 20. & dimidia plus minus. Hyeme denique, idest Novembri, Decembri, Jannario, & Februario, cum hora 21. & dimidia circiter. Ita Filliucius Tract.23. num. 274. Addens* AD ANTICIPANDUM MATUTINUM MODO SUPRADICTO *quamlibet causam sufficere, qualis est* MAJOR COM-

COMMODITAS STUDII, *lux diei*, *& major ſecuritas anticipandi*. *Quod confirmat Sanchez ſupradicta Dubit.* 37. *num.*2. *dicens*, AD ID *ſufficere non ſolum neceſſitatem, ſed etiam* COMMODITATEM.

Audiſtin? ad quid ſufficiat, Auctoribus Pellizario, & Sanchezio, MAJOR COMMODITAS? AD ID; AD ANTICIPANDUM MATUTINUM MODO SUPRADICTO; qui modus a Pellizario minutiùs, & luculentiùs explicari non poterat.

Sanchez lib.7. Conſiliorum cap.2. Dubit. 37. num. 2. ita loquitur. *Hoc ſuppoſito, circa horam recitandi Matutinum convenit inter Doctores, poſſe recitari* VESPERE MATUTINUM DIEI SEQUENTIS *propter rationem dictam; quod idem probari videtur ex generali conſuetudine. Dicunt tamen plures Doctores, eſſe peccatum veniale recitare* VESPERE, *niſi adſit juſta cauſa. Sic D. Thomas quodlibeto* 5. *num.*28. *Angelus V. Hora num.*21.... *& quidam recentior valde doctus Magiſter: addens ſufficere cauſam juſtam, quæ inducat non tantum neceſſitatem*, SED ETIAM COMMODITATEM.

Audiſtin? iterum ad quid ſufficiat COMMODITAS? Non ad recitandum COMPLETORIUM tempore PRIMÆ, vel CONTRA; ut finxit P. Concina; ſed AD RECITANDUM VESPERE MATUTINUM DIEI SEQUENTIS. Referuntur ne ſincerè Sententiæ Jeſuitarum?

CA-

CAPUT XVII.

Restituitur suæ integritati sententia Filliucii, & Laymani.

P. CONCINA Tom.2. pag.493.

Qui solus nequit, cum Socio vero potest Officium persolvere; tenetur ne Socium adhibere, si commodè eo uti possit? .... Quæstio autem excitatur, dum Socius commodè haberi possit. Nam si opus esset SOLUTO PRETIO *socium acquirere, verisimilius est cum tanto onere neminem obligari....* FILLIUCIUS, LAYMANUS DISTINCTIONE UTUNTUR. *Si oculis caligans, vel cæcus effectus solitus erat socium adhibere in recitandis horis, antequam impedimentum contraheret, tenetur socium adhibere, ut pensum solvat: secus vero, qui talem non habebat consuetudinem.* HÆC DISTINCTIO INANIS EST, ET RATIONIS VACUA.

****

Distinctio quidem inanis est, & rationis vacua. Verum neque Filliucius, neque Laymanus eam adhibent; sed hæc est mera impostura.

Filliucius docet tantùm; qui recitare horas solus non potest; potest autem cum socio, teneri recitare cum socio, SI SINE MAGNO INCOMMODO illum habere possit. En ejus verba Tract. 23. cap.9. num. 289.

Qui non potest dicere solus, si possit cum socio, & illum habeat ad manum SINE MAGNO INCOMMODO, *tenetur horas recitare, quia hoc ipso, quod facile potest cum socio, non potest dici impotens. Idem dicendum de cæco, si memoriter sciat horas, vel cum socio possit alternos versus Psalmorum dicere.* Ex-

Extundat ex his verbis P. Concina, si potest, distinctionem illam inanem, & rationis vacuam. Si non potest, fateatur se imposuisse.

Laymanus non docet, qui non habebat consuetudinem, NON TENERI DEINDE RECITARE CUM SOCIO, ut P. Concina fingit; sed NON TENERI SOCIUM SOLUTO PRETIO CONDUCERE; ut ipse P. Concina rectè concedit. En Laymani verba lib.4. tract. 1. cap.6.

Si aliquis, qui cum socio recitare solitus ante non fuit, ob incidentem morbum v.g. oculorum, solus recitare non potest, NON EST OBLIGATUS, UT SOCIUM SIVE FAMULUM STIPENDIO CONDUCAT.

Ex his item verbis quo pacto elicere, aut exprimere potest P. Concina distinctionem illam inanem, & rationis vacuam, SI ANTE IMPEDIMENTUM SOLITUS ERAT RECITARE CUM SOCIO, TENETUR: SI NON ERAT SOLITUS, NON TENETUR?

CAPUT XVIII.

Restituitur suæ integritati sententia P. Fagundez.

P. Concina Tom.3. pag.4.

Quando nam hoc præceptum (Adorationis) *per se obligat?.... Recentiores quidam Probabilistæ P. Thomas Tamburinus lib.2. in Decalogum cap.4. §.2. num.4.* FAGUNDEZ *lib.1. in Decal. cap.32. Roccafull. lib.3. in Decal. cap.5. Dub.2., aliique, quos citat Leander, docent*, NULLO TEMPORE *hoc præceptum* PER SE, ET INDIRECTE' *adorationem imponere, sed tantùm* INDIRECTE', ET PER ACCIDENS.

P. Fa-

P. Fagundez loco citato numquam docet, præceptum adorationis obligare TANTUM INDIRECTE', ET PER ACCIDENS: sed solùm docet, NULLUM DARI CERTUM, ET DETERMINATUM TEMPUS, in quo vi sua obliget; ET HUJUSMODI DETERMINATIONEM desumendam esse, vel ex circumstantiis, & arbitrio Prudentis; vel ex jure positivo Ecclesiæ. Sed norunt omnes Theologi, quam hæc duo diversa sint inter se, OBLIGARE SOLUM INDIRECTE', ET PER ACCIDENS: ET NULLUM DARI CERTUM, AC DETERMINATUM TEMPUS, IN QUO OBLIGET VI SUA. Præceptum Caritatis obligat sine dubio VI SUA, DIRECTE', ET PER SE. Et tamen nondum est CERTUM, ET DETERMINATUM præcisum tempus, in quo obligat; & in hoc assignando Theologi dissentiunt. Ex Doctrina Ecclesiæ habemus, obligare infra quinquennium. Aliqui Theologi dicunt obligare semel in anno: aliqui quolibet mense: P. Concina octavo quoque die. Numquid hæc temporis INCERTITUDO efficit, aut probat, præceptum Caritatis obligare SOLUM INDIRECTE' ET PER ACCIDENS, non vero DIRECTE', ET PER SE? Minimè certè. Quod ergo Fagundez doceat, NULLUM DARI CERTUM TEMPUS, quo præceptum adorationis VI SUA obliget; non est quod doceat, præceptum adorationis obligare solùm INDIRECTE' & PER ACCIDENS. Cur igitur in damnum Patris Fagundez hæc duo confundit P. Concina?

Sed afferamus verba Patris Fagundez, ut videamus, utrum doceat illud tantùm, quod ego dixi.

Respondeo, inquit, nullum tempus CERTUM *dari, quo teneamur* EX VI *hujus præcepti divini, & naturalis Deum colere, & adorare. Sunt enim multa præcepta juris naturalis, quæ* CERTUM *tempus minimè assignant;*

ut præceptum Fidei, dilectionis, & Spei, ut supra probavimus. DETERMINATIO *ergo temporis desumenda est vel ex circumstantiis externis, ut arbitrio Prudentis, vel ex jure positivo Ecclesiæ*.

Est ne in his verbis vestigium ullum obligationis SOLUM INDIRECTE', & PER ACCIDENS.

CAPUT XIX.

Vindicatur ab injusta criminatione P. Sanchez.

P. CONCINA Tom.3. pag.51.

DIVINATORES tenentur ne restituere pretium pro DIVINATIONE *acceptum?* SINGULARIS *opinio Pater Sanchez refutatur*.

Et post pauca ita subdit.

P. Thomas Sanchez lib.2. in Decal. cap.38. num.96. SINGULAREM *hac de re opinionem habet*.

Tum fideliter recitat prolixum textum Patris Sanchez, qui opinionem suam sic exponit.

Si ASTROLOGUS *ille, vel* DIVINATOR *operam suam apposuit, & arte Diaboli res ita evenit; non tenetur pretium restituere, quia ipse operam suam, etsi turpem, apposuit ... quia ea diligentia a Mago illo apposita est pretio æstimabilis*.

Demum recitato textu Patris Sanchez, in eam opinionem invehitur Pater Concina acerrima declamatione, quam concludit more suo his liberalibus verbis.

HÆC MIHI VIDENTUR MONSTROSA PARADOXA, *quæ communi sensui repugnant*. INVENTA *tandem opinio est, quæ utile, & lucrosum esse docet cum Diabolo commercium, & quod lucrum ex tali Diabolico* com-

commercio acquisitum RETINERI POSSIT. VAH ERRONEA COMMENTA.

..*.*

INjusta, & ad invidiam aptissima criminatio est, Patrem Sanchez docuisse opinionem SINGULAREM. Habet enim illa opinio patronos antiquiores, quorum unum si P. Concina legisset; a nota singularitatis, & ab acerbis conviciis temperasset. Illam igitur docuerunt ante Sanchez.

Sanctus Antoninus part.2. tit.2. cap.5. his verbis.

Tertio modo dicitur illicitè acquisitum, non quod ipsa acquisitio sit illicita; sed illud, ex quo acquiritur, est illicitum: ex quo transfertur dominium, nec competit repetitio; ut in meretricio, ET HUJUSMODI. *Nam meretrix turpiter agit, & contra legem Dei fornicando; sed ipsa acceptio, vel datio pecuniæ pro hujusmodi illicito non est illicita, nec contra legem Dei; & hoc propriè dicitur turpe lucrum. De illicitis ergo isto tertio modo secundum Thomam, & Raymundum potest dari eleemosina*; ET POTEST ETIAM RETINERI, *nisi superfluum per fraudem, & dolum mulier extorsisset, quia illud est restituendum. Et ad hoc pertinent lucra facta ex histrionatu illicito; ex Duello, ex Torneamento; ex sertis factis de floribus, & aliis hujusmodi, quorum usus communiter est ad lasciviam; ex deciis factis* EX ARTE MATHEMATICA SEU DIVINATORIA.

Duo hic adverto antequam progredior. Primum. Omnis divinatio, ut docet S. Thomas, aliquod commercium cum Diabolo includit. *Omnis divinatio*, inquit Angelicus 2. 2.*quæst.*95. *art.* 2. Θ, *ex operatione Dæmonum provenit, & art.*3. Θ. *Omnis divinatio utitur ad præcognitionem futuri eventus aliquo Dæmonum consilio, vel auxilio, & art.*5. Θ; *Dicendum, quod, sicut dictum est, divinationi, quæ ex opinione falsa, vel vana procedit, ingerit*

gerit se operatio Dæmonis , ut hominum animos implicet vanitati, aut falsitati. Vana autem aut falsa opinione utitur, si quis ex consideratione stellarum futura velit præcognoscere, quæ per ea præcognosci non possunt. Secundum. Quemadmodum P. Sanchez dixit ASTROLOGUS ILLE, VEL DIVINATOR: Ita S. Antoninus dixerat EX ARTE MATHEMATICA, SEU DIVINATORIA. Redeo ad Auctores.

Petrus Navarra *de restit. Tom.2. lib.4. cap.2. num.100.* his verbis. *Tertio igitur colligo de acceptis ob turpem causam* (non esse nimirum restituenda) *maximè quando tale peccatum est intrinsecè malum; ut si accipias pecuniam, quo aliquem occidas, vel infames, vel ob lenocinium,* SORTILEGIUM, *ob sententiam injustam ferendam, ob sacrilegium committendum.*

Vasquez *de restit. cap. 6. dub.4.* proponit hanc quæstionem. *Utrum datum propter peccatum patrandum, vel denique ob turpem quemcumque actum lenocinii,* SORTILEGII, *&c., sit in conscientia restituendum.* Et deinde post relatas Sententias ita loquitur num.25. . *Sexta sententia est Navarri, Sylvestri, Angeli, & Antonini locis citatis asserentium, quod* UNIVERSALITER *quidquid datum fuerit propter peccatum faciendum, non est restituendum alicui de necessitate, nec pauperibus..... Horum auctorum opinio mihi maximè placet, si loquamur intra limites juris naturalis seclusa ordinatione juris positivi.*

Et demum eam opinionem ante Sanchez IMPLICITE' docuerunt omnes illi, qui tradiderunt UNIVERSALITER, turpe lucrum peccato perpetrato, & seclusa legum irritatione, non esse restituendum, quando accipiens ponit aliquam industriam, vel operam suam utilem aut voluptuosam illi, qui pretium dedit. Videri potest Petrus Ballarinus Auctor Patri Concinæ non suspectus Prælectione 3. in secundam partem S.Antonini §.22.

Cum igitur opinionem Sanchezii docuerint ante ipsum

ipsum EXPRESSE' S. Antoninus, Petrus Navarra, & Vasquez, & IMPLICITE' alii Auctores; Docuit ne Sanchez opinionem SINGULAREM?

Illa vero acris declamatio, qua sola refutat P. Concina opinionem Sanchezii, regeri tota potest contra S. Antoninum, & contra opinionem docentem, UTILE, ET LUCROSUM ESSE MERETRICIUM CUM AMASIIS COMMERCIUM; ut per semetipsos advertere, & præstare Lectores possunt.

CAPUT XX.

Restituitur sua integritati sententia P. Sanchez.

P. CONCINA Tom. 3. pag. 109.

Qui consuetudine blasphemandi tenentur, debent ne absolvi antequam a consuetudine prava recesserint? Respondeo. Adfirmat de more Leander disp.7. Quæstione 67., probabilius sibi esse absolvendos blasphemos, si verè de peccatis doleant, tametsi sæpius admoniti non resipuerint: & pro hac sua opinione laudat SANCHEZ... *& alios. Recensita Leandri, & aliorum sententia proscripta est ab Innocentio XI. in hac propositione*. Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, LICET EMENDATIONIS SPES NULLA APPAREAT, nec est deneganda, nec differenda absolutio, DUMMODO ORE PROFERAT se dolere, & proponere emendationem. *Juniores Casuistæ nostri, ut consulant laudatis Theologis, de more clamitabunt, aut ab aliis etiam Theologis similia doceri; quod si verum est, & illi reijciendi sunt; aut* MINUS SINCERE' *istornm opiniones relatas esse*.

QUAM

QUAM CANTIONEM *valde rancidulam pluries ut ridiculam propulsavimus.*

..*.*

VErba P. Sanchez lib. 2. in Decalog. cap. 32. num. 45. hæc sunt. *Secundo dico; quando nil curæ apposuit ad emendam, admonitusque est sæpe in aliis confessionibus,* POSSE *adhuc hunc* IN RIGORE *absolvi statim*, SI VERE DOLEAT *de præteritis*, *ac imposterum* EMENDAM FIRMITER PROPONAT.

Videamus nunc, utrum Sanchezii sententia sincerè proponatur Lectoribus, dum affirmatur absolutè, atque intrepidè, illam esse proscriptam.

Propositio proscripta dicit, Pœnitentem illum non modo POSSE, SED DEBERE ABSOLVI, *nec deneganda, nec differenda est absolutio*. Sanchez dicit solùm POSSE; & quidem IN RIGORE; quasi dicat, multas posse circumstantias occurrere, ob quas, licet IN RIGORE POSSIT, tamen absolvi non debeat.

Propositio proscripta dicit, Pœnitentem illum DEBERE ABSOLVI, LICET EMENDATIONIS SPES NULLA APPAREAT; P. Sanchez de hac absurda adjectione, ne verbum quidem; immo illam satis apertè excludit, dum requirit VERUM DOLOREM de præteritis, & FIRMUM PROPOSITUM de futuris; quæ certè fundare possunt spem aliquam emendationis.

Propositio proscripta dicit, satis esse si ORE PROFERAT se dolere, & proponere emendationem. P. Sanchez nusquam dicit, sibi sufficere testimonium illud VOCALE; sed postulat dolorem, qui sit VERUS, & propositum re ipsa FIRMUM. Quæ possunt hic & nunc innotescere ex aliis signis, præterquam ex verbali Pœnitentis protestatione.

Posito autem hoc multiplici solidoque discrimine inter propositionem damnatam, & Sanchezii doctrinam;

Repre-

Repræsentatur ne sincerè a P. Concina Patris Sanchez opinio, dum affirmat, eam ab Innoc. XI. in allata propositione proscriptam esse?

Utrum vero rancidulam cantionem pluries satis validè propulsaverit; & apparet ex dictis hactenus; & erit mihi sæpe in posterum monendus, ut validius propulset.

CAPUT XXI.

Restituitur suæ sinceritati sententia P. La-Croix.

P. Concina Tom. 3. pag. 117. *in Catalogo propositionum, quas recenset ut damnandas.*

Si VOVISTI *redimere jacturam temporis, comprehendisti ludum etiam moderatum, itemque lusum pro alio, quia verè luderes cum jactura temporis. Poteris tamen per alium ludere, licet aspiciendo perdas tempus. La-Croix lib. 3. part. 1. num. 454.*

..*

La-Croix loco citato loquitur de illo, qui vovit non amplius ludere ob hunc finem; ne tempus perdat: & non scribit si VOVISTI, ut refert P. Concina; sed SI VOLUISTI redimere jacturam temporis. Porro hæc permutatio, licet unius voculæ, mirum quantum deformet sententiam Patris La-Croix; ejusque sensum corrumpat.

Nam si VOVISTI redimere jacturam temporis, redemptio jacturæ temporis est MATERIA voto promissa, ac proinde fidem frangis, & votum violas, quacumque in re, sive aspiciendo alienum ludum, sive per temet-

metipſum ludendo, tempus perdas. At ſi vovendo abſtinere a ludo tuo perſonali VOLUISTI redimere jacturam temporis; redemptio jacturæ eſt FINIS, & RATIO voti; & abſtinere a ludo tuo perſonali eſt MATERIA voto ad promiſſa. Quando vero non adeſt materia voti, etſi adſit FINIS & RATIO voti, votum non obligare in conſcientia, ſolidè oſtendit Suarez *Tom. 2. de relig. lib.4. de voto cap. 3. num.9.* Aliter poſtquam voviſti non ludere, ne tempus perdas; violares votum colloquendo cum Amicis ſola temporis fallendi cauſa; otiando in tuo cubiculo; & demum quocumque alio modo perdendo tempus.

Ne queratur ergo P. Concina, ſi clamitamus, ſententias non ſincerè referri: Et propulſet paulo validius cantiunculam.

CAPUT XXII.

Vindicatur ab impoſtura La-Croix, Moya, & Gobat.

P. Concina Tom.3. pag.142.

Poſtquam multis rejecit opinionem Leandri docentis, votum caſtitatis ſimplex non obligare, & irritum fieri ob ſupervenientes libidinis vexationes, & crebros lapſus; hæc habet.

Ne multa: Hæc doctrina, quæ aſſeritur, ſupervenientes difficultates, moleſtias, tranſgreſſiones crebras reddere rem promiſſam materiam ineptam pro voto, & votum ipſum diſſolvere irritumque facere; ſicut de medio tollit fere omnia vota, ita etiam promiſſa omnia inter homines infringit, ac humanum abrumpit commercium...... Neque alicujus momenti eſt, quod ſubdit Leander citata quæſt.

quæst. 2., nempe quod non relinquitur cujusque judicio ferre sententiam, num omnibus circumstantiis inspectis salubrius sit matrimonium contrahere, sed tantum judicio pii, & prudentis Confessarii, nempe perdocti Casuistæ. Nugæ istæ sunt, vanique fuci, qui minime LAXISSIMÆ DOCTRINÆ HORROREM *obtegere valent, aut imminuere. Quin verus Judex molestiarum, tentationum, & lapsuum in Venerem nemo peritior est illo, qui talia experitur. Posito ergo, quod recensita incommoda nulla efficiant emissa vota, ut contendunt Casuistæ laudati, jam quisque nullum votum suum judicare poterit.* AD SUMMUM *consulere poterit Confessarium aliquem, qui pro Magistris habeat Leandrum,* MOYAM, *licet proscriptum,* LA-CROIX, GOBATIUM, *cæterosque in uno docendi genere consentientes.*



ILlo Sarcasmo persuadet Lectoribus P. Concina tres illos Jesuitas consentire cum Leandro in hac sententia; Quod votum simplex Castitatis ob supervenientes difficultates, molestias, crebrosque lapsus irritum fiat. Hæc autem omnia manifestæ sunt imposturæ.

La-Croix in tota tractatione de voto de ea sententia ne verbum quidem. Immo neque usque alibi hanc quæstionem attingit, aut P. Concina doceat ubi.

Moya tantum abest, ut magisterio suo faveat illi sententiæ, ut disertissimis verbis tueatur contrariam. Docet enim Primo, votum illud etiam post subortas difficultates, & crebros lapsus manere in possessione obligandi. Docet secundo, Homini illi adhibenda esse alia orationis, & pœnitentiæ remedia, quibus a vehementibus tentationibus carnis liberetur, & sibi meliorem reddat cælibatum, quam matrimonium. Docet Tertio, Hominem illum ad hæc remedia adhibenda obligari EX VI

VO-

VOTI; Et tunc implicitè se ad hæc obligasse, cum simplex votum Castitatis emisit. Integrum textum dabo, ne bis rescribam, capite sequenti.

Gobat tract.10. num.406. disertissimis item, & gravissimis verbis docet oppositum. Loquens enim de iis, qui obstricti voto simplici Castitatis moralem continendi impossibilitatem sentiunt, sic ait.

Omnes Catholici PERNEGANT, *talibus esse licitum, ne dum necessarium, primam fidem irritam facere.*

Et paulo post docet aliquid amplius: nempe subsistere non modo votum emissum ante carnis molestias, & crebros lapsus; sed etiam emissum post cognitam suam fragilitatem. En verba. *Omnes communiter Doctores contra Ledesmam* (Dominicanum) *apud Sanchez loc. citato, & contra Homobonum apud Dianam part.4. tract.4. resolut. 102. fatentur* SUBSITERE VOTUM *Castitatis, quod etiam* POST *cognitam suam fragilitatem emisit ille miserandus homo.*

Et nihilominus P. Concina Pœnitentem illum, qui cuperet votum simplex Castitatis ob supervenientes carnis molestias declarari irritum, mittit ad Confessarium, qui utatur magisterio Moyæ, & Gobati. Saltem non jactaret, se pluries ut ridiculam propulsasse rancidulam cantionem.

Sed siquidem Gobat citavit Patrem Sanchez, indico ejus locum; quod & libenter facio, ne quis forte suspicetur, Sanchezium involui inter CETEROS IN UNO DOCENDI GENERE CONSENTIENTES. En igitur ejus verba lib.4. in Decal. lib.8. num.10.

Dicendum est, valere ea vota emissa ob eam incontinentiam patienti; & A FORTIORI, *quando illis emissis hæc supervenit, non cessare eorum obligationem. Ducor, quia oppositum asserere video esse contra communem Ecclesiæ usum: quantumvis enim quis carnis illecebris vexetur, & incontinens sit, si voto Castitatis se devinciat, aut antea devinxerit, solet a Pontifice dispensationem impetrare:*

nec

nec illi conceditur nisi rigidissima commutatione injuncta. Nec credo, virum aliquem doctum & pium ausum fuisse, hunc ab ea obligatione eximere.

Ita loquuntur, ut Patris Conchæ verbis utar, RECENTIORES PROBABILISTÆ. Quamobrem si ille Pœnitens consulat Confessarium, qui pro Magistris habeat Moyam, Gobatum, Sanchezium, & ceteros communiter Jesuitas; audiet responsionem, ipsi denuncio, quæ non multum sibi placebit.

CAPUT XXIII.

Vindicatur a duplici falsa criminatione P. Moya.

P. Concina Tom.3. pag.145.

Antequam huic quæstioni finem facio, juvat recensere judicium, quod in hanc opinionem a me hactenus oppugnatam fert P. Matthæus Moya in Quæstionibus selectis Tract.2. disput.1. quæst.1. de voto, & juramento. Hanc controversiam prolixè versat tribus paragraphis. Primo in paragrapho refert Auctores disputantes super valore voti emissi ab eo, qui, antequam voveat, proclivis in Venerem est; & vericrem pronunciat opinionem illam, quæ validum esse votum propugnat. (Addo ego: & citat Petrum de Ledesma Dominicanum tamquam antesignanum opinionis, quæ propugnat, votum illud esse invalidum. Ex qua ceteri deindè a P. Concina vexatissimi intulerunt ob paritatem rationis, invalidum quoque fieri votum propter fragilitatem supervenientem) *Tum in paragrapho secundo in medium affert sententiam, quæ sustinet, votum dissolvi, & irritum fieri per supervenientem in res venereas proclivitatem.*

 Aucto-

Auctores istius sententiæ appellat doctissimos : UT *superlativum encomium quid ponderis tribuat opinioni*, (TO , UT , quo P. Concina interpretatur intentionem Moyæ , totum est suæ humanitatis). PRO EA ALLEGAT *Doctissimos Dominicanos , Dominicum Baltanam, Sylvestrum , Tabienam ; qui* SOLUM *docent , fieri nullum votum , quoties ejus materia evadat inepta vel impossibilis . Quod autem castitas voto Deo adpromissa , ex propensione superveniente in venerem fiat inepta , & observatu impossibilis , nemo eorum dixit* ; (Neque eos dixisse , Moya , ut videbimus , dixit) . *Tandem in paragrapho tertio suam statuit opinionem , & ait* . Quamvis opinio proposita §.1. valde probabilis sit , contrariam tamen tenendam censeo ; *Consequenter valde probabilem judicat quoque secundam , quam §.2. num.14. necessario profluere ex prima indicat* . ET RE IPSA EAM NON IMPUGNAT ; *Sed cum suis argumentis illam Lectoribus proponit*.



DUæ sunt in textu P. Concinæ adversus P. Moyam falsæ criminationes, sive imposturæ .

Prima est, Patrem Moyam allegare doctissimos Dominicanos Baltanam , Sylvestrum, Tabienam PRO EA sententia , quæ docet votum dissolvi per supervenientem in res venereas proclivitatem; ideoque ipsis imponere id, quod non dicunt. P. Moya non allegat PRO EA sententia , sed pro eo , quod verè docent; scilicet pro hac regula universali , *Id, quod, si prius esset , votum impediret; si superveniat , irritat votum emissum* . Laudatos vero Dominicanos applicare hanc regulam prædictæ sententiæ , in toto Moya P. Concina nusquam leget . En ejus verba loco citato num.12.

Quod autem circumstantia adveniens post votum emissum, quæ si antea adfuisset , irritum redderet ; ejus obliga-

gationem aut tollat, si est perpetua; aut suspendat, si temporalis; tradit cum omnium magistro Divo Thoma M. Dominicus Baltanas in Margarita Confessorum Hispalis edita anno 1526. folio 66. dicens; Secundum Beatum Thomam quidquid votum impediret, si prius esset, aufert obligationem etiam voto facto. *Et idem de juramento docet folio 133. Idemque tenet cum doctissimis Dominicanis P. Thomas Sanchez lib.4. cap.2. num.23. dicens, D. Thomam, Sylvestrum, Tabienam, & plures Doctores* HANC REGULAM *tradere: Id liberat voti, aut juramenti obligatione, quod si a principio accidisset, impediret ea fieri*.

Hactenus Moya. Doceat nunc P. Concina, ubi Moya alleget laudatos Dominicanos PRO EA SENTENTIA. Doceat, quid attribuat ipsis, quod verè non dixerint. Ipse non refert bona fide eorum doctrinam. Dicit enim, eos SOLUM docere, fieri nullum votum, quoties ejus materia evadat inepta vel impossibilis; cum doceant rem valde diversam, nempe regulam illam universalem superius expositam.

Secunda impostura est, P. Moyam RE IPSA NON IMPUGNARE EAM SENTENTIAM; sed cum suis argumentis illam Lectoribus proponere.

In primis P. Moya citato paragrapho tertio impugnat primam opinionem, quæ docet irritari votum ob fragilitatem antecedentem; impugnat, inquam, rationibus non solum communibus, sed a fortiori militantibus contra secundam, quæ docet votum irritari per fragilitatem supervenientem. Quod satis esset ad refellendam imposturam. Verum hoc omisso:

Duo tantum sunt argumenta a suis patronis allata pro secunda opinione. Primum est molesta paritas petita ex prima. Secundum est, fragilitatem supervenientem, & crebros lapsus reddere Castitatem moraliter impossibilem, ac proinde materiam ineptam voti.

Hæc duo non proponit Lectoribus P. Moya sine solida responsione. Dissolvit primum, negando primam sen-

ſententiam, deſtruendo ejus fundamenta, amplectendo, ac probando contrariam rationibus a fortiori militantibus contra ſecundam, ut dictum eſt. Diſſolvit ſecundum dicendo, Caſtitatem fieri poſſe moraliter poſſibilem per remedia Orationis, & Pœnitentiæ, Hominemque illum obligari EX VI VOTI ad hæc remedia adhibenda, ut Deum ſibi propitium, & moraliter poſſibilem Caſtitatem reddat. Proponit igitur quidem P. Moya eam ſententiam cum ſuis argumentis: ſed proponit etiam ſolutionem; quidquid in oppoſitum perſuadere enitatur Lectoribus P. Concina.

Advertit præterea P. Moya, votum jam ante fuiſſe emiſſum; ideoque eſſe in poſſeſſione obligandi. Quo poſito; & adjuncta ſolutione illius duplicis argumenti; continetur in verbis Moyæ, ſi eam P. Concina videre velit, ſolidiſſima hæc ejus ſententiæ impugnatio, quam hoc pacto efformare juvat. Ex una parte votum illud, utpote emiſſum ante ſupervenientem fragilitatem, eſt in poſſeſſione obligandi. Ex alia nulla eſt ſolida ratio deturbandi votum a ſua poſſeſſione: non paritas petita a prima ſententia, quia illa falſa eſt: non moralis impoſſibilitas Caſtitatis; quia ille homo obligatus eſt EX VI VOTI ad remedia Orationis, & Pœnitentiæ adhibenda, quibus reddat Deo juvante Caſtitatem ſibi moraliter poſſibilem. Ergo illud votum in ſua poſſeſſione perſeverat.

Hujuſmodi vero impugnationem contineri in doctrina, & verbis Moyæ, facile oſtenditur producto textu. Nam Moya poſtquam §. 3. num. 20. & 21. impugnavit primam ſententiam, ex qua deſumitur paritas pro ſecunda; ad hanc deveniens *num. 22* ita loquitur.

Si vero poſt emiſſum votum fragilitas carnis adveniat, ſpecialis eſt difficultas, quia neque implicitè videtur vovens ſe obligaſſe ad media RIGOROSA *Abſtinentiæ, & extra ordinariæ Pœnitentiæ: & forſan ſi propenſio illa in Venerem præceſſiſſet, non emitteret votum, & quandoque id certo moraliter judicat.* NIHILOMINUS *cum hic caſus*

ſus non ſit ex raro contingentibus , ſed ex illis , qui pro diverſitate occupationis , & ætatis evenire ſolent , ET ALIUNDE VOTUM SIT IN POSSESIONE OBLIGANDI , PRO ILLO SENTENTIAM FERENDAM CENSEO ; IDEOQUE TENENDUM, VOVENTEM IMPLICITE' SE OBLIGASSE AD ALIA ORATIONIS, ET PŒNITENTIÆ REMEDIA ADHIBENDA, QUIBUS A TENTATIONIBUS CARNIS VEHEMENTIBUS LIBERETUR , ET MELIUS SIBI REDDAT A MATRIMONIO ABSTINERE , QUAM OPPOSITUM.

Dicant , quæſo , Lectores , quid hic Moya inſolutum relinquat? Dicant quid ego in efformata impugnatione impoſuerim , quod in doctrina , & verbis Moyæ non includatur? Et tamen ſi Patri Concinæ habenda eſt fides, Moya RE IPSA EAM SENTENTIAM NON IMPUGNAT , SED ILLAM CUM SUIS ARGUMENTIS LECTORIBUS PROPONIT.

Non ſcripſit quidem ad eam ſententiam impugnandam P. Moya hæc , quæ ſparſim habet P. Concina in hac tractanda quæſtione . Pag. 137. „ *Utrum hujuſmodi principia faveant* LUTHERO , CALVINOQUE *obgannientibus adverſus Catholicorum vota , quod ſint humanæ fragilitati importabilia , & lumborum ardoribus contraria , ceteri videant* „ Pag. 138. *Ego tamen inquiro , cur caſtitas his in circumſtantiis evadat incongrua voti materia ? An quia ſit homini fragili , & vexato carnis ſtimulo impoſſibilis ? Si aſſeris*, HÆRETICUS ES . Pag.140. „ *Non eſt ergo* SOLUS LUTHERUS EFFUTIENS *caſtitatem eſſe impoſſibilem . Probabiliſta hic noſter rotundo ore non modo ait , ſed ſupponit ex communi Doctorum , Caſtitatem ob ſupervenientes tentationes fieri ineptam , & impoſſibilem voti materiam* „ Pag.141. „ *Quod ſupervenientes tentationes & lapſus in venerem impoſſibilem reddant Caſtitatem* HÆRESIS EST LUTHERANA „ Pag. 144. „ *Probabiliſtæ iſti anſam non levem* HÆRETICIS *præbent*

bent carpendi vota monastica,, Hæc, inquam, & similia Moya non scripsit; quia putavit etiam sine ipsis posse solidè, & theologicè impugnari sententias.

CAPUT XXIV.

Restituitur sua sinceritati sententia P. La-Croix.

P. Concina Tom.3. pag.183.

*Non est autem audiendus P. La-Croix, qui lib.3. part.1. num.*148. (scribendum erat 448.) NIMIS LAXE' *contendit* INTEGRUM *Rosarium omittere, levem esse materiam*.



NIMIS laxè procul dubio; siquidem id doceret P. La-Croix. Verum tantum abest, ut loquens de Rosario, quod juxta ipsum est materia levis, adjungat illam vocem INTEGRUM, quam pro sua mera liberalitate adjungit P. Concina; ut disertissime profiteatur se non loqui de Rosario INTEGRO, sed de PARTE EJUS TERTIA. En verba loco citato.

Si vovisti orare Rosarium, & omittas duas decades, non est mortale, licet duæ decades respectu Rosarii sint pars notabilis, scilicet tertia. Immo Rosarium ipsum censetur quid exiguum in ordine ad cultum Beatæ Virginis, vel Dei ..... Per ROSARIUM *autem communiter intelligitur* NON INTEGRUM *psalterium, sed* PARS EJUS TERTIA.

Audistin? quid intelligatur a Patre La-Croix per ROSARIUM, quod est quid exiguum in ordine ad cultum

tum Beatæ Virginis, vel Dei ? Non intelligitur INTEGRUM, sed PARS EJUS TERTIA. Cur ergo P. Concina adjunxit INTEGRUM, quod auget invidiam, & amplificat laxitatem ; cum non modo non reperiatur in Patre La-Croix; sed sit contra manifestissimam protestationem Patris La-Croix ?

Non libet a laxitate liberare illud ipsum quod docet P. La-Croix. In hoc enim Opusculo de laxitate, rigore, veritate, & falsitate sententiarum nullo modo disputare decrevi: eas omnes relinquo, ut cum Juristis loquar, IN STATU, QUO. Sed dico, vocem INTEGRUM valde immutare sententiam, quæ proinde non est sincerè relata. Quamobrem posset P. Concina aliquanto longius propulsare rancidulam cantionem, quæ sæpissimè adhuc est in proximo.

Obiter hoc adverto. P. Concina hoc in loco carpit, & jure carpit Patrem La-Croix, quod pro sua sententia non bene citaverit Tamburinum. Et concludit hoc gravi monito; HINC COLLIGE NECESSITATEM LEGENDI AUCTORES IN FONTE. Rogo Lectores, ut diligenter hoc monitum memoriæ mandent, quia sæpenumero erit usui.

CAPUT XXV.

Restituitur sua integritati sententia P. Marin.

P. Concina Tom. 3. pag. 234.

P. Marin censet probabile esse, Voventem virginitatem non teneri ad castitatem. Tractatu 9. disp. 3. sect. 2. num. 39. Ex Burgh. cent. 1. casu 59. quia virginitas corporis tantùm integritatem significat : sed hæc opinio & LA-

XA NIMIS *est, & lædens communem sensum.*

Et pag. 117. *in catalogo propositionum, quas recenset ut damnabiles.*

Probabile est, eum, qui vovit virginitatem, non teneri ad perpetuam castitatem; sed tantùm ad servandam integritatem carnis, quam illa vox virginitatis propriè significat. Marin tract.9. disp.3. sect.2. num.39.

..*.*.*.*.*

QUi legunt recitata verba Patris Concinæ certissimè duo existimabunt. Primum; Patrem Marin loqui indiscriminatim, universaliter, & nulla adhibita distinctione de QUOCUMQUE vovente virginitatem, & de QUOCUMQUE pronunciare, probabile esse, illum non teneri ad castitatem. Secundum; Patrem Marin docere IN SENSU ABSOLUTO propositionem, quæ offertur ut damnanda, sine ulla conditione adjecta, quæ illam temperet, & reddat conditionalem. Repetant, oro, Lectores citata verba, & sibimetipsis dicant, an non statim imbibant animo hæc duo, quæ dixi. Porro utrumque falsissimum est.

P. Marin supponit primo, vocem virginitatis significare propriè integritatem corporis, sive abstinentiam a primo actu venereo, per quem deperditur; non vero abstinentiam a secundo, tertio, vel quarto, supposito primo, per quem jam amissa est. Atque ita qui in primum jam lapsus est, si abstineat deinde ab aliis, dicetur quidem servare castitatem, sed non virginitatem. Supponit secundo, posse dari discrimen inter votum virginitatis, & votum castitatis, idest posse aliquem vovere abstinentiam a primo lapsu, quin tamen voveat abstinentiam ab aliis consequentibus primum, per quem virginitatem amisit. Deinde distinguit inter eum, qui novit propriam significationem illius vocis virginitas, & discrimen quod dari potest inter unum votum, & aliud, & eum qui hæc non novit. His

His positis, quando P. Marin docet esse probabile, voventem virginitatem non teneri ad castitatem, non docet hoc indiscriminatim & universaliter de QUOCUMQUE VOVENTE; sed determinatè de eo solo, qui novit significationem propriam illius vocis, & discrimen inter unum votum, & aliud; & prælucente ejusmodi notitia votum emisit. Loquens vero de eo vovente, qui hæc non novit, ut communiter sunt Juvenes, & puellæ, apertissimè docet, hunc teneri ad castitatem, ut statim ex ejus verbis perspicuum fiet. Demum propositionem, quam P. Concina truncatè recitat, non profert in sensu absoluto, quem præbet ut truncata refertur; sed temperat adjecta conditione, quæ reddit illam conditionem. Audiamus ipsum loco citato.

Nihilominus probabile est, eum, qui vovit virginitatem, non teneri ad perpetuam castitatem, sed tantum ad servandam integritatem carnis, quam illa vox virginitatis propriè significat; NISI CONSTET FUISSE ALIAM MENTEM VOVENTIS; AUT IGNORASSET HANC SIGNIFICATIONEM VOCIS.

Verba majusculis characteribus scripta duo evidenter ostendunt. Ostendunt primo, Patrem Marin non loqui indiscriminatim, & universaliter de QUOCUMQUE VOVENTE virginitatem, sed solum de eo, qui novit significationem vocis. Ostendunt secundo, Doctrinam P. Marin non esse illam absolutam, quam præfert propositio mutilata; sed esse hanc conditionatam: *Probabile est, non teneri ad castitatem*, SI NOVIT SIGNIFICATIONEM VOCIS: SI VERO SIGNIFICATIONEM VOCIS IGNORAVIT, *non est probabile*. Et tamen illa verba, quæ adeo immutant sententiam Patris Marin, eamque adeo temperant, a Patre Concina, qui rancidulam cantionem pluries propulsavit, ut ridiculam, detruncata sunt.

Sed pergamus audire Patrem Marin, qui sese ulterius explicat numero immediate sequenti.

Verius judico cum Moya tom.1. tract.2. disp.1. quæst. 2. num.8. DISTINGUENDUM *taliter : Si vovens agnovit differentiam inter votum virginitatis , & castitatis ; votum virginitatis solum est partiale , obligans solùm ad integritatem corporalem servandam . Si non agnovit differentiam , est votum* TOTALE ; *quia si non agnovit differentiam , ut communiter accidit puellis , & Juvenibus , ad* TOTALEM *castitatem censentur obligari .*

Doctrina P. Marin talis ne est, qualem ego depinxi , an qualem depinxit P. Concina ? Lectores judicent . At etiam sic laxa est . Sit : hoc non pertinet ad institutum meum . Quod dico , hoc est : sententiam Patris Marin limitatam , particularem , conditionatam propositam fuisse minus sincerè a Patre Concina veluti universalem, illimitatam, & absolutam: Perinde ac si P. Marin docuisset universaliter , indiscriminatim , nulla adhibita distinctione , & conditione , QUEMCUMQUE voventem virginitatem non teneri ad castitatem: quod ex dictis patet esse falsissimum.

C A P U T XXVI.

Vindicatur ab alia falsa criminatione idem Marin.

In Indice Tomi 3. V. Marin .

Marin (P. Joannes) LAXAM *docet propositionem de voto . pag.117. num.7....* LAXE' *docet voventem virginitatem non teneri ad castitatem pag.234. num.22.*

Hic



HIc in Indice P. Marin repræsentatur Lectoribus auctor DUPLICIS sententiæ laxæ; quarum una referatur pag. Conciniana 117. altera diversa referatur pag. 234. Atqui sciant Lectores, unam esse atque ipsissimam sententiam, quæ utrobique refertur: sententiam nempe superiorem, quam P. Concina truncatè refert, ut vidimus, sua pagina 117., & rursum refricat sua pag. 234. Jam aliàs monui, facile fore, ut indices hoc artificio in integram bibliothecam excrescant.

CAPUT XXVII.

Vindicatur a falsa criminatione P. Tamburinus.

P. CONCINA Tomo 3. pag. 390.

Duo hic docet Tamburinus: quorum unum certissimè falsum est; nempe QUOD JURANS SINE ANIMO JURANDI, NON JURET: *quæ propositio ab Ecclesia* DAMNATA *est, ut infra videbimus. Alterum &c.*



CErtissime falsum est, prædictam propositionem esse ab Ecclesia damnatam; ideoque certissimè verum est P. Concinam falso criminari Tamburinum, quòd docens illam primam propositionem doceat id, quod est damnatum.

Propositio damnata est hæc 25. Innoc. XI. CUM CAUSA LICITUM EST JURARE SINE ANIMO JU-

JURANDI, SIVE RES SIT LEVIS, SIVE GRAVIS. Quæ falsa est, & merito proscripta; quia licèt JURANS SINE ANIMO JURANDI, NON JURET; tamen non est licitum, ne cum causa quidem, invocare Deum in testem cum illa simulatione.

Porro quantum propositio damnata differat ab hac doctrina JURANS SINE ANIMO JURANDI, NON JURAT; quamquam oculis pateat; nihilominus ex eo etiam evidenter liquet, quod fatente ipso Patre Concina usque ad hæc sua tempora ea doctrina ita communis sit inter Theologos, ut NEMO DE ILLA DUBITET. Audiatur ipse hoc Tomo 3. pag.439. ita loquens.

Quæstio VI. An QUI DELIBERATE JURAT SINE ANIMO JURANDI, VERUM PROFERAT JURAMENTUM? *Respondeo.* COMMUNITER *auctores docent* VERUM NON ADESSE JURAMENTUM *ex defectu intentionis necessariæ ad juramentum*: ET NEMO HOC IN DUBIUM REVOCAT.

Loqueretur ne hoc pacto P. Concina si ea doctrina, JURANS SINE ANIMO JURANDI, NON JURAT, damnata foret?

Præterea rejicit quidem ipse eam doctrinam contra communissimam Theologorum sententiam. Sed numquam utitur ad eam rejiciendam ulla damnatione, quod certè facere non omisisset, si potuisset. Utitur solùm quadam ratione, quam sibi jam obiecerat P. Suarez, & dissolverat; ut videbimus capite sequenti.

Quod ait P. Concina, UT INFRA VIDEBIMUS; infra, & usquam nihil affert, in quo ea damnatio videri possit, sed solùm affert ea, quæ modo retuli, ex quibus evidenter conficitur, non existere in rerum natura illam damnationem.

Et tamen ea doctrina, quæ pag.439. ita communis est, ut NEMO DE EA DUBITET; pag.350. ubi sermo erat de Tamburino, certissimè erat falsa, & ab Ecclesia damnata.

CA-

CAPUT XXVIII.

Vindicatur ab aliâ falsa criminatione idem Tamburinus.

P. Concina Tom. 3. pag. 390.

Duo hic docet Tamburinus: quorum unum certissimè falsum est; nempe quod JURANS SINE ANIMO JURANDI, NON JURET; *quæ propositio ab Ecclesia damnata est; ut infra videbimus: alterum, quod jurans si non advertat se jurare; seu si præscindat ab invocatione divini testimonii, non juret; quæ pariter propositio falsa omnino mihi est &* SCANDALI PLENA. *Sed quod magnopere animadvertere debemus, est, Tamburinum testari, has suas propositiones communiter a Doctoribus edoceri. Laudat namque Layman, qui sane lib.4. Tract.3. cap.1. num 3. eas docet. Citat deinde pro se etiam* SUAREZ *lib.1. de Juram. cap.1. num.4.* SED FALSO: NIHIL ENIM IBI HABET INSIGNIS ISTE THEOLOGUS, QUOD HIS OPINIONIBUS FAVEAT.

***

UNa impostura pertinens ad illam primam Tamburini opinionem, quod JURANS SINE ANIMO JURANDI, NON JURET, refutata est capite superiori. Injustam aliam criminationem nunc repellam, in eo sitam, quod Tamburinus falso pro se citaverit Patrem Suarez; & quod NIHIL HABEAT INSIGNIS ISTE THEOLOGUS, QUOD HIS OPINIONIBUS FAVEAT.

P. Suarez non modò favet primæ opinioni Patris Tamburini relatæ hic a P. Concina; sed expressè & di-

ter-

certissimè illam docet; validis argumentis communit; & a contraria objectione liberat. Postquam enim num.4. & sequentibus explicavit quæstionem, & adduxit rationem in oppositum, num.8. ita scribit.

Nihilominus dicendum est, INTENTIONEM JURANDI *esse omnino necessariam* AD CONSTITUTIONEM, *ut sic dicam*, JURAMENTI, *& ad veritatem ejus in essendo. Nam juramentum exterius prolatum* SINE INTENTIONE JURANDI *fictum juramentum est, non verum, etiamsi assertio in quam cadit vera sit*. ITA SENTIUNT DOCTORES OMNES, *quos infra referemus tractantes de juramento promissorio: hac enim ratione dicunt, juramentum promissorium falsum* SINE INTENTIONE JURANDI *non inducere specialem obligationem; Ratio enim est, quia illud non habet* ESSE *juramenti, & ideo non habet effectus ejus. Probari autem potest primo exemplis. Quia votum factum exterius sine intentione vovendi non est votum: nec sacramentum sine intentione factum est verum sacramentum, sed fictum; etiamsi non desit voluntas exercendi exterius omnia necessaria signa. Ergo idem est in juramento, est enim suo modo sacramentum, idest sacrum signum, ut diximus. Ratio denique eadem est, quæ in ceteris cum proportione adhiberi solet. Quia juramentum debet esse actus humanus, non solum quatenus est materialis quædam locutio; sed etiam quatenus juramentum est. Non potest autem esse hujusmodi, nisi* AB INTENTIONE JURANDI *procedat*.

Deinde numero 9. respondet objectioni quam adduxerat; & quam exscribit P. Concina, ut defendat, contra communem, sententiam oppositam. Objectio autem in eo posita est, quod voluntas proferendi verba apta ad jurandum videtur inseparabilis a voluntate, sive intentione jurandi: ad quam sic reponit Suarez.

Ad rationem ergo in contrarium respondetur, voluntatem proferendi verba apta ad jurandum separari posse A VOLUNTATE JURANDI; *quamvis e converso* VO-

LUN-

LUNTAS JURANDI *humano modo, seu respectu hominis, necessario includat voluntatem exhibendi signum sufficiens ad jurandum.*

Quæ quidem responsio, suppositis exemplis allatis a P. Suarez ad probandam sententiam suam; immo communissimam; validissima est. Sicuti enim voluntas ponendi exteriùs res aptas ad sacramentum, e. g. ablutionem & verba formæ, quamvis sit efficax, & aliquid operetur, separabilis est a voluntate baptizandi immo componibilis cum voluntate non baptizandi, quæ licet exteriùs nihil operetur, tamen prævalet in ordine ad impediendum verum sacramentum: ita in casu quem versamus.

Demum P. Suarez eamdem Doctrinam repetit lib.2. de Juramento promissorio cap.7. num.2. his verbis.

His ergo suppositis circa juramentum promissorium, dicendum est primo, ut obligationem inducat, necessarium esse, ut AB INTENTIONE JURANDI *procedat.* HOC CERTUM EST APUD OMNES..... *Et probatur; quia juramentum* SINE INTENTIONE *factum non est juramentum, ut libro primo in principio dictum est.*

Igitur primum, quod docebat Tamburinus, erat, JURANTEM SINE INTENTIONE JURANDI, NON JURARE. Pater Suarez non obiter & per transennam, sed ex professo propugnat JURANTEM SINE INTENTIONE JURANDI, NON JURARE. Et tamen Tamburinus FALSO pro se citat Patrem Suarez; ET NIHIL HABET INSIGNIS ISTE THEOLOGUS, QUOD HIS OPINIONIBUS FAVEAT.

Alterum quod docebat Tamburinus, ut ait P. Concina initio hujus capitis relatus, erat, QUOD JURANS, SI NON ADVERTAT SE JURARE, SEU SI PRÆSCINDAT AB INVOCATIONE DIVINI TESTIMONII, NON JURET. Tamburinus *lib.3. in Decalogum cap.1. §.3. num.6.*, ad quem locum respexit hic P. Concina, illam PRÆCISIONEM AB INVOCATIONE DIVINI TESTIMONII explicat his verbis: HOC EST;

NEC INTENDIT, NEC NON INTENDIT INVOCARE. His præmissis, secundum, quod docet Tamburinus, sive ejus secunda opinio nitide & clarè exposita hæc est, QUI JURAT, ET CARET TUM POSITIVA INTENTIONE INVOCANDI DEUM IN TESTEM, IDEST JURANDI; TUM POSITIVA INTENTIONE NON INVOCANDI; NON JURAT.

Jam vero P. Suarez, quamvis expresse secundam hanc opinionem non tractet nec propugnet; tamen multum ipsi favet. Hæc enim secunda opinio necessario, ut mihi quidem videtur, ex prima profluit. Ratio brevis & clara hæc est.

Quoties deficit positiva intentio invocandi Deum in testem, deficit essentia juramenti. Sed quando quis NEC INTENDIT, nec non intendit invocare, deficit positiva intentio invocandi Deum in testem. Ergo tunc deficit essentia juramenti. Ergo ille tunc NON JURAT.

Ergo P. Suarez, qui cum communissima Doctorum sententia propugnat propositionem majorem dicti syllogismi, idest primam opinionem; favet consequentiæ legitimè deductæ, idest secundæ opinioni.

Non defendo, quod repetere juvat, opiniones Tamburini; & multo minus defendo, quæ immiscet citato in loco Tamburinus. Vindico illum ab iniusta criminatione, sive impostura, quod FALSO pro se citaverit P. Suarez; siquidem P. Suarez & expresse propugnat primam Tamburini opinionem, & propugnando primam multum favet etiam secundæ, ut ostensum est.

Facere hic non possum quin addam aliquid de Patre Layman. Pater Concina dicebat: *Laudat namque Layman, qui sane lib.4. tract.3. cap.1. n.3.* EAS *docet.* Pater Layman secundam Tamburini opinionem nec propugnat nec tractat; sed solùm tractat & propugnat primam. En ejus verba loco citato.

Notandum est tertio. Ad veram rationem juramenti non sufficit, verba juramenti significantia materialiter tantum

tum proferre; NISI SIMUL ADSIT ANIMUS, SIVE VOLUNTAS JURANDI, VERUMQUE DEUM IN TESTEM INVOCANDI; *alioquin erit non verum, sed fictum, vel dolosum juramentum*.

Et nihil aliud habet, quod ad rem nostram pertineat. Ideoque docet solùm primam opinionem Tamburini, quam docet P.Suarez, & de qua, fatente ipso Patre Concina, NEMO DUBITAT. Jam vero facio optionem. Vel docere hanc primam opinionem est favere secundæ, & implicitè eam docere; vel non. Si primum: Igitur P. Suarez, qui expresè docet primam, favet secundæ; & multa habet quæ HIS OPINIONIBUS FAVEANT. Si secundum: igitur P. Layman qui expressam mentionem facit solùm de prima, non docet EAS.

CAPUT XXIX.

Vindicatur ab impostura idem P. Tamburinus.

In Indice Tomi 3. V. *Tamburinus*.

Tamburinus LAXE' *docet*, *omittere* INTEGRUM ROSARIUM *voto promissum peccare solùm leviter*.



AUctor Indicis calumniosissimè scribit, Tamburinum ista docere. Tamburinus non loquitur de ROSARIO INTEGRO, immo neque loquitur de TERTIA PARTE; sed solùm de DUOBUS DECENNARIIS; ut ingenuè scripsit ipse P. Concina hoc Tomo 3. pag. 184. En verba Tamburini lib.1. in Decal. cap. 1. §. 3. num. 21. *Vovisti coronam B. Virginis sex decennariis constan-*

 tem:

tem: duo decennaria comparatione dictæ coronæ cum sint tertia pars, videntur non modica materia: at quia ad finem intentum, idest ad cultum Virginis, id modicè nocet; si cetera quatuor decennaria recitentur, VENIALE ERIT DUO TANTUM OMITTERE.

Ut vero laxitatibus Jesuitarum per fas, & nefas indices infarcirentur; in eodem indice V. *Votum* ita repetitur.

Non esset levis materia INTEGRUM ROSARIUM *omittere; ut* LAXE' *docent* LA-CROIX, TAMBURINUS, ET SPORER.

In quibus verbis est impostura contra P. La-Croix, qui, ut vidimus capite 24., profitetur se non loqui de ROSARIO INTEGRO, cujus nomine communissimè intelliguntur quindecim decades, sed de TERTIA PARTE. Est impostura contra Tamburinum, ut modo evidenter ostensum est. Est impostura contra P. Sporer Franciscanum, qui Tract.1. cap.5. §.4. num.30. idem docet, ut quisque videre poterit, ac Tamburinus.

Demantur ab indicibus tot repetitiones, quas omnes adnotare piget; demantur imposturæ; existat aliquis, qui ad examen revocet sententias, quas P. Concina appellat laxas: & indices fortasse multum decrescent.

At eos P. Concina non confecit. Id solùm in præsentia dico. Hoc probat Patrem Concinam alios habere fœderatos, qui adversus nostram Societatem eodem animo sunt.

CA-

CAPUT XXX.

Restituitur suæ sinceritati sententia Baunii.

P. Concina Tom.3. pag.408.

An qui in re levissima falsum jurat, peccet mortaliter? ..... Auctor Theologiæ moralis Jesuitarum, & Henricus a S. Ignatio in Prolegomeno I. cap.1. hanc eamdem sententiam [peccare solùm venialiter] *adjudicant* BAUNIO *in summa pag.65. Edit. xv., ubi* EAM DOCET *his verbis*: Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem: *quæ propositio est 24. inter damnatas ab Innoc. XI. Dominicus Viva in sua trutina theologica interpretatur, Baunium admittere parvitatem materiæ in juramento dumtaxat* PROMISSORIO. SIT ITA: *libenter siquidem & nos sano in sensu quoad fieri potest, catholicos Scriptores interpretamur.* QUOD NEGOTIUM FACESSIT, *est, iisdem omnino verbis esse conceptam propositionem damnatam ab Innoc. XI., quam cum ceteris theologis ipse Viva testatur proscriptam fuisse in sensu juramenti assertorii, non promissorii. Utcumque res ista se habeat, ratio proscriptæ propositionis evidens est.*

Deinde in Indice V. *Bauni* sic habetur.

*Bauni (P. Stephanus) malè docet, vocare Deum in testem mendacii levis, esse peccatum solum leve. Pag.*408. *num.*2. *Damnatur hæc propositio ab Innoc. XI. Ibidem.*

Quam-

Quamvis P. Concina iis verbis SIT ITA videatur permittere interpretationem Patris Viva; nihilominus aliis verbis satis apertè ostendit, se hujusmodi interpretationi non acquiescere; & satis apertè persuadere conatur Lectoribus, Baunium verè locutum fuisse de Juramento ASSERTORIO non PROMISSORIO, atque ideo docuisse propositionem damnatam. Ait enim, Baunium EAM DOCERE verbis relatis; ait NEGOTIUM FACESSERE, quod iisdem omnino verbis propositio damnata concepta sit; & demum in indice dissertissimè scribitur, Baunium docuisse illam propositionem quæ ab Innoc. XI. damnata est.

Ut igitur P. Concina sine hæsitatione acquiescat interpretationi Patris Vivæ; ut Auctor indicum discat minùs confidenter imponere, atque ut Baunium ab hujusmodi injustâ criminatione vindicem: demonstro, ipsum locutum esse de JURAMENTO PROMISSORIO, quo quis promittat committere aliquod peccatum veniale, e. g. mentiri leviter in gratiam alicujus; non autem de ASSERTORIO, quo quis vocet Deum in testem mendacii levis cum juramento prolati. Affero prius textum P. Baunii, ex gallico summa fide latinè redditum, qui sic habet.

Nequit fieri peccatum veniale, AD QUOD QUIS SE OBLIGAVIT PER JURAMENTUM, *quin novum committatur. Tolet. lib. 4. cap. 21. Covarruvias de pactis prima parte §.6. Additur quod emittendo hoc juramentum, peccatum est mortaliter juxta opinionem aliquorum. S. Th. 2. 2. quæst.89. Theologi in 3. Sententiarum dist.29. Lessius lib.2. de Justitia dub.4 num.18. Quia species est blasphemiæ accipere Deum veluti* FIDEJUSSOREM OFFENSÆ, ET VADEM PRAVÆ VOLUNTATIS, *qualis illa est quam habet*, QUI SE DETERMINAT AD ALIQUAM CULPAM, QUAMTUMVIS VENIALEM.

Con-

Contraria nihilominus opinio habet fautores suos; (nempe non esse peccatum mortale illud juramentum) *ut S. Antoninum 2. p. tit. 10. cap. 4. §. 3. Sotum lib. 8. quæst. 2. art. 3. Valentiam Tom. 3. disp. 6. quæst. 7. §. 3. Et possumus illam sequi sub consideratione, quod* ACCIPERE DEUM IN TESTEM MENDACII LEVIS NON EST TANTA IRREVERENTIA, PROPTER QUAM VELIT ET POSSIT DAMNARE HOMINEM.

Relato summa fide textu, evidenter ostendo, quamvis fortasse Lectorum oculis statim patuerit, sermonem esse DE JURAMENTO PROMISSORIO; & sensum illorum verborum IN TESTEM MENDACII LEVIS esse, in testem mendacii levis PROFERENDI, ET JURAMENTO PROMISSI; non vero, in testem mendacii levis IN JURAMENTO, ET CUM JURAMENTO PROLATI.

Ostendo primo ex verbis ipsius Baunii. Baunius per illa verba NEQUIT FIERI PECCATUM VENIALE, AD QUOD QUIS SE OBLIGASSET PER JURAMENTUM, loquitur de juramento, quo quis se obliget ad committendum peccatum veniale. Atqui juramentum, quo quis se obliget ad committendum peccatum veniale est JURAMENTUM PROMISSORIUM. Ergo. Præterea Baunius per illa verba ACCIPERE DEUM FIDEJUSSOREM OFFENSÆ, ET VADEM PRAVÆ VOLUNTATIS, QUA QUIS SE DETERMINAT AD ALIQUAM CULPAM QUAMTUMVIS VENIALEM loquitur de juramento, quo quis vocat Deum in testem offensæ faciendæ, & executionis pravæ voluntatis, qua determinat committere aliquam culpam quamvis venialem. Atqui juramentum hujusmodi est promissorium. Ergo.

Ostendo secundo ex Auctoribus, quos citat pro sua sententia. Baunius loquitur de illo juramento, de quo loquuntur Auctores, quos pro se citat. Atqui illi Auctores loquuntur de juramento PROMISSORIO, quo nempe

pe

pe quis se obligat ad committendum aliquod peccatum. Ergo. Ad probandam minorem seligo ex citatis a Baunio unum Dominicum Soto insignem Dominicanum, qui loquitur determinatè de MENDACIO LEVI, sicuti loquitur Baunius; & sic habet loco citato. *Conclusio vera ostenditur, ubi quis jurat aliquid se facturum, quod non non est nisi veniale malum, nempe* JOCOSE' MENTIRI, *aut otiosum verbum loqui. Tunc enim, quia illud juramentum implere non est nisi veniale; consequitur, ut neque illud fieri graviorem afferat culpam. Ubi de* JURAMENTO PROMISSORIO evidenter sermo est.

Ostendo tertio ex doctrina præcedenti ipsius Baunii. Baunius loquens paulo superius citato cap. 4. de juramento ASSERTORIO docet, Juramentum falsum esse peccatum mortale; & hoc docet universaliter, illimitate, & sine ulla prorsus distinctione inter falsitatem levem, & gravem. En ejus verba.

Conclusio secunda. Hoc perjurium, idest applicare alicui falsitati sanctissimum nomen Dei .... peccatum est; & peccatum, quod Theodulphus Episcopus Aurelianensis appellat grande scelus, in lege, & Prophetis, & Evangelio prohibitum, puniendum in alia vita morte æterna. .... quod nos dicimus esse MORTALE: *quia est contra honorem debitum Divinæ Majestati eam invocare in testem* ALICUJUS REI, *QUÆ* NEQUE EST, NEQUE FUIT. Quæ locutio est omnino indefinita, neque ullo modo distinguit inter REM LEVEM, ET GRAVEM. sed universaliter comprehendit OMNEM REM, QUÆ NEQUE EST, NEQUE FUIT. Ergo aliena est a mente Baunii proscripta doctrina; nempe, vocare Deum JURAMENTO ASSERTORIO in testem mendacii levis, non esse peccatum mortale.

Poterat Baunius, quod obiter dictum sit, præter S. Antoninum, & Sotum Dominicanos, citare etiam Cajetanum: qui 2. 2. quæst.8. a. 7. sententiam Baunii disertè docet his verbis. *Quod non peccet nisi venialiter, patet*
ex

ex hoc, quod si quis jurat committere peccatum veniale, puta dicere verbum otiosum, non NISI VENIALITER *peccat jurando.*

Sed hoc omisso, & regrediendo ad rem nostram. Si Henricus a S. Ignatio, & Auctor Theologiæ moralis Jesuitarum non avulsissent a suo contextu prædictam propositionem, sententiam damnatam Baunio non adjudicassent. Et si Pater Concina non legisset Baunium in iis auctoribus, sed COLLEGISSET NECESSITATEM LEGENDI AUCTORES IN FONTE, nihil fuisset quod NEGOTIUM ipsi FACESSERET; & interpretationi Patris Vivæ facilius acquievisset.

Demum hìc adverto, rectè componi ista duo: Et impugnare aliquas sententias Henrici a S. Ignatio; & tam multa excribere, atque alia conditione recoquere, quæ Henricus a S. Ignatio, Montaltius, Auctor Theologiæ Moralis Jesuitarum, Sinnichius, aliique contra Societatis Auctores jam pridem summa diligentia collegerunt.

CAPUT XXXI.

Restituitur suæ integritati sententia P. La-Croix.

P. Concina Tom.3. pag.410.

An liceat jurare rem, quam PROBABILITER *tantum judicas esse veram? Respondeo. Hoc quæsitum proponit P. La-Croix lib.3. part.1. cap.2. dub.3. quæst.70. n.267. Respondet verò his verbis:* „Sanchez lib.3. cap.4. num. „10. Castropalaus part.5. num.2. aliique apud Dianam „part.4. Tract.4. resol.77 affirmant: quia juras hoc, „quod judicas verum: Ergo non pejeras: unde quod „aliquis audivit a Viro notabili, & fide digno, potest

„ SECUNDUM ILLOS AUCTORES (Nota jam hinc lector: non dicit secundum suam sententiam, sed narrativè SECUNDUM ILLOS AUCTORES) „ affirmare, & extra judicium jurare esse verum: quod „ aliqui apud Dianam extendunt ad juramentum etiam „ in judicio „.

Et paulo post pag 413. P. Concina hæc subdit.

Recentes Theologi communiter docent, sufficere UNICUM TESTEM FIDE DIGNUM *ad jurandum extra judicium, secus in judicio. Sic inquiunt*.... LA-CROIX, *& plures alii, quos ipsi citant*.

****

P. Concina hic duo præstat. Primum adeo mutilatè refert textum Patris La-Croix, ut persuasum relinquat lectoribus, Patrem La-Croix adhærere uni sententiæ, cùm adhæreat omnino oppositæ. Deinde expresse imponit Patri La-Croix, quod doceat, sufficere UNICUM TESTEM FIDE DIGNUM ad jurandum extra judicium; cùm hoc nusquam dicat ex propria sententia; sed ad omne juramentum postulet certitudinem moralem. Quæ omnia producto integro textu manifesta fient.

Igitur P. La-Croix post relatam sententiam, contentam in verbis recitatis a P. Concina, hæc ulterius habet, quæ P. Concina suppressit.

E CONTRA *P. Suarez, cap.4. num.7., & Dicastillo num.147. requirunt* MORALEM CERTITUDINEM AD OMNE JURAMENTUM; *alioquin jurantem fore perjurum: quia qui jurat, significat, se* PLUSQUAM OPINARI, *& dicit aliquo modo* SCIRE. *Ergo non licet jurare id de cujus veritate* CERTO NON CONSTAT..... ET HÆC ULTIMA SENTENTIA VIDETUR PROBABILIOR.

Jam

Jam verò, adducere folùm verba, quæ persuadent lectoribus Patrem La-Croix adhaerere uni fententiæ; & filere alia, quæ oftendunt Patrem La-Croix adhærere oppofitæ; eft ne referre INTEGRE fententias? Præterea dicere, Patrem La-Croix contentum effe UNICO TESTE FIDE DIGNO ad jurandum extra judicium; cùm ipfe doceat PROBABILIUS effe contrarium: eft ne referre fententias SINCERE? Lectorum judicium efto.

Antequam de hoc tertio Tomo manum tollam, præterire non poffum, quod breviffimè dicturus fum.

P. Concina pag. 383. in catalogo propofitionum, quas recenfet & offert ut damnandas, ultimam fcribit his verbis.

Similiter non effet plufquam veniale mendacium dicere VRO *ablata* I, *cum verè nihil* VRAT. *P. Thomas Sanchez lib.3. in Decalogum cap.6. n 3.*

Ego verò fubjicio oculis lectorum hanc aliam.

Si injurius ille nequam fic rogaret: Juras mihi tantam numerare pecuniam? *& alter refponderet*; fic URO, *abfque* I, *non effet peccatum mortale*; *fed fimplex mendacium*, *quia forte nihil tunc* URERET. *Dominicus Soto* DOMINICANUS *de Juft. lib.8. quæft.1. artic.7. in fine.*

Ipfiffima eft propofitio, quam a Dominicano magiftro didicit Jefuita difcipulus: & tamen propofitioni damnandæ attexitur nomen Sanchezii, nomen Soti altum filetur. Sed ejufmodi exempla in hac Chriftiana Theologia innumera funt: pauca adnotare identidem non omittemus.

CAPUT XXXII.

Vindicatur ab iniusta criminatione P. Cardenas.

P. CONCINA Tom. 4. pag. 28. *proponit hanc quæstionem.*

Reus juridicè interrogatus, cuique hæc juridica interrogatio certo constat, tenetur ne fateri crimen, tametsi talem confessionem ejusdem mors consequatur?

Et postquam statuit talem reum teneri sub mortali fateri suum crimen ita pergit pag. 31.

Contrariam sententiam propugnant non pauci ex recentioribus.... Cardenas dissert. 19. cap. 7. hanc opinionem defendit; & PRO EADEM ADDUCIT SYLVESTRUM, & ARMILLAM. *Hi duo auctores* V. Accusatio *locis supracitatis num. 2.* CONCEPTIS VERBIS *docent, peccare mortaliter reum non confitentem veritatem Judici legitimè interroganti, quamquam plectendus sit ob crimen confessum* POENA MORTIS..... HINC COLLIGE QUANTUM SIT ISTORUM AUCTORUM CITATIONIBUS FIDENDUM.



NOn P. Cardenas falsò citavit Sylvestrum & Armillam Dominicanos pro sua sententia, ut iniustè criminatur P. Concina: sed P. Concina falsissimè citavit eos Auctores pro sua. Illi enim auctores defendunt sententiam Patris Cardenas, & CONCEPTIS VERBIS REJICIUNT opinionem Patris Concinæ.

Præmitto, tum P. Concinam, tum P. Cardenas loqui de POENA TEMPORALI. Nam P. Concina dicit, Reum illum debere sub mortali fateri crimen, tametsi ta-

talem confeſſionem EJUSDEM MORS conſequatur; quamquam plectendus ſit ob crimen confeſſum POENA MORTIS. Pater verò Cardenas capite citato num.81. *Sed oppoſitam ſententiam*, inquit, *quæ affirmat, non teneri reum fateri ſuum delictum, ſi propter illud plectendus ſit* POENA CAPITALI, VEL TRIREMIUM, AUT ALIA SIMILI, *veram cenſeo*. Quamobrem ſententia P. Concinæ clauditur hac propoſitione. TAMETSI AGATUR DE POENA TEMPORALI, ETIAM MORTIS, SUBEUNDA; ILLE REUS TENETUR SUB MORTALI FATERI CRIMEN. Sententia P. Cardenas clauditur hac aliâ. SI AGATUR DE POENA TEMPORALI, PUTA MORTIS, TRIREMIUM, AUT SIMILI, SUBEUNDA; ILLE REUS NON TENETUR.

Hoc præmiſſo: ſi illi auctores docent quidem, illum reum teneri ſub mortali fateri crimen, ſi agatur de ſubeunda POENA SPIRITUALI, e. g. Excommunicatione, & ſimili: ſed expreſſiſſimè docent, reum illum NON TENERI ſi agatur de ſubeunda POENA TEMPORALI, ſine dubio alia & diverſa a poena ſpirituali; rogo, Vtri favent? Vter illos rectè citat? Cardenas ne, qui docet NON teneri ſi agatur de POENA TEMPORALI: An P. Concina, qui docet TENERI, tametſi agatur de POENA TEMPORALI? Audiamus ergo quid dicant.

Sylveſter V. *Accuſatio*, poſtquam dixit, peccare mortaliter talem reum non confitentem; & nullo modo neque CONCEPTIS VERBIS, neque non conceptis nominavit POENAM MORTIS, ut fingit P. Concina, ſic concludit doctrinam ſuam in fine numeri. SI TAMEN AGATUR AD POENAM SPIRITUALEM. VIDE INFRA *CONFESSIO* §.1. Et infra V. *Confeſſio*, ad quem locum ſe remittit, ita loquitur. *Primo vero quæritur, an ſit quis obligatus ad interrogationem Judicis fateri delictum? Et dicit Panormitanus in C. Cum ſuper de Confeſſ. ſi Judex procedit per inquiſitionem ex mero ſuo officio, ſic tenetur quis reſpondere veritatem ſub poena peccati*

mor-

mortalis, si factum sit notorium, vel infamia flagrat, vel semiplenè probatum est, secundum S. Thomam 2. 2. quæst. 69. articulo 1. Et hoc verum QUANDO AGITUR AD POENAM SPIRITUALEM, NON ALIAM.

Armilla verò, quamvis Verbo *Accusatio* non se explicet de qua poena loquatur, clarissimè tamen se explicat V. *Confessio judicialis* §.8. his verbis: *Si Judex procedat per inquisitionem ex mero officio suo, tenetur reus respondere veritatem sub peccato mortali si factum est notorium, vel infamia flagrat, vel semiplenè probatum est secundum Thomam 2. 2. quæst 69. art.1. Et hoc verum est* QUANDO AGITUR AD POENAM SPIRITUALEM, NON AD ALIAM.

Audistin? Quando agitur ad aliam poenam diversam a spirituali, ut est poena mortis, poena triremium, & similis, per Sylvestrum & Armillam non est verum, reum illum teneri ad fatendum suum crimen, ut docet Cardenas, & contra quam docet P. Concina. Vter ergo pro sua sententia rectius citavit eos auctores? Licebit, puto, etiam mihi regerere in Patrem Concinam sua verba. HINC COLLIGE QUANTUM SIT P. CONCINÆ CITATIONIBUS FIDENDUM.

CAPUT XXXIII.

Restituitur suæ sinceritati alia sententia Sanchez, & Castropalai.

P. CONCINA Tom. 4. pag. 85.

An juramentum præstitum de servanda taxa obliget, si taxa sit justa & sufficiens; lex tamen contrario usu abrogata? Respondeo. Leander disput.31. quæst.7. Probabilius, *inquit*, adhuc respondeo, non obligare tale juramen-

mentum scribas & Ministros .... quia censendi sunt, se noluisse obligare. *Pro hac opinione laudat* P. SANCHEZ, PALAUM, *Dianam, Trullench. Pradum. Mihi non modo probabilior non est hæc sententia, sed neque probabilis, immo apertè falsa. Quid?* TAXA JUSTA EST, ET USUS CONTRARIUS EAM ABROGAT? *Justitia ergo, quæ commutans appellatur, qualis est in præfato stipendio,* CONSUETUDINI OBNOXIA EST? CONTRARIUS USUS ABROGARE POTEST JUSTITIAM IPSO PRINCIPE REPUGNANTE? *En unum ex principiis tot rapinarum, rapacitatum, oppressionum, & injustitiarum, quæ in Foris grassantur. Si enim vel ipsi casuistæ docent,* USUM ABOLERE POSSE IPSAM JURATAM JUSTITIAM, *quid tam sanctum tam justum erit, quod prævalente hominum malitia & abusu violare sibi licitum non reputent ejusmodi ministri? Rejicienda itaque est hæc opinio tamquam omnino falsa,* ET ERRONEA; QUIA NULLUS USUS ABROGARE POTEST JUSTITIAM COMMUTANTEM, QUÆ JURIS NATURALIS EST. *Quare in hypothesi,* QUOD TAXA RE IPSA SIT JUSTA, *ut Leander* CUM SUIS SUPPONIT, *usus contrarius numquam præscribere valet; & potissimum repugnante Principe, qui taxam justè definivit.*



Pater Sanchez ne per somnium quidem cogitavit docere sententiam in hac declamatione descriptam; & illas res absurdissimas quæ in ea per figuram interrogationis conglobantur. Numquam docuit USUM CONTRARIUM POSSE ABROGARE EA, QUÆ SUNT JURIS NATURALIS. Numquam docuit, JUSTITIAM COMMUTANTEM ESSE OBNOXIAM CONSUETUDINI. Numquam supposuit TAXAM PERSEVERARE JUSTAM & SUFFICIENTEM. Numquam docuit, posse propter usum contrarium exigi aliquid plus, quam ferat

TA-

TAXA PERSEVERANS JUSTA & SUFFICIENS. Immo neque unquam locutus eſt de uſu contrario abrogante legem poſitivam Principis. Quid ergo eſt quod docet?

Docet hoc tantùm conditionatè: Quod SI taxa juſta jurata decurſu temporis ob aliquas ſupervenientes circumſtantias FIAT JUDICIO VIRORUM DOCTORUM INIUSTA, ET INSUFFICIENS; & expreſſe profitetur, quod diligenter advertendum eſt, ſe non diſputare, utrum & quomodo iſte caſus poſſit contingere; ſed tamen SI CONTINGAT, docet, inquam, in tali caſu juramentum non amplius obligare, quia fuit de ſervanda TAXA JUSTA, non vero INIUSTA, qualis ſupponitur judicio doctorum virorum effecta eſſe taxa prius præſcripta. En ejus verba lib.3. in Decal. cap.14. n.14.
Sexto deducitur quid dicendum ſit de quibuſcumque miniſtris publicis, jurantibus ſervare ſtipendium lege taxatum, vulgo el aranzel; *quando probabiliter judicaretur* A VIRIS DOCTIS, ESSE SUCCESSU TEMPORIS MINUS SUFFICIENS, ET INIUSTUM. QUOD QUANDO EVENIAT, NON EST PRÆSENTIS LOCI DISPUTARE; SED IN CASU, IN QUO ITA ESSET, TRACTAMUS. *Dicendum enim eſt, id juramentum non obligare ad eam ſtipendii laboris taxam*, QUÆ INIUSTA EST.

Dignetur P. Concina me docere, ubinam Sanchez ſupponat TAXAM PERSEVERARE JUSTAM ET SUFFICIENTEM. Dignetur docere, ubinam Sanchez dicat, USUM CONTRARIUM POSSE ABOLERE JUSTITIAM JURATAM, JUSTITIAM COMMUTANTEM, LEGEM NATURÆ. Dignetur docere, ubinam Sanchez fundet ſuam aſſertionem in USU CONTRARIO etiam abrogante legem poſitivam Principis. Demum dignetur docere, ubinam P. Sanchez ſaltem nominet USUM CONTRARIUM. De his rebus ne verbum quidem apud Patrem Sanchez.

Quod

Quod attinet ad Palaum: docet ille quidem *Disput.2. de Juramento, Puncto 7. §.5. num.5.*, juramentum illud non amplius obligare, si lex positiva Principis taxantis stipendium contrario usu abrogata sit; quia juras servare legem eo modo quo viget. Sed numquam supponit, taxam abrogata ea lege PERSEVERARE ITA JUSTAM JURE NATURÆ, ut violetur lex naturalis, siquid plus exigatur, quàm erat taxatum: & numquam ipsi venit in mentem hoc absurdum, nempe USUM CONTRARIUM posse abrogare EA, QUÆ SUNT JURIS NATURALIS. En ejus verba.

Nihilominus censeo, te illo juramento non adstringi, non quia ad illud servandum te obligare non poteras; sed quia censendus es, te non voluisse obligare. Cum enim aliquam legem servandam juras; juras eam servare EO MODO, QUO RECEPTA EST; *& sub ea obligatione. Quia juramentum est lege accessorium, & illius obligatione vis obligationem legis firmare. Si igitur lex nullam inducit obligationem; quia est derogata, aut solum obligationem levem; juramentum de illius observatione eamdem, vel nullam obligationem habebit.*

Ubi hic supponitur a Palao, taxam abrogata ea lege positiva Principis PERSEVERARE JUSTAM? Ubi hic docetur, USUM CONTRARIUM POSSE ABROGARE LEGEM NATURALEM? Certè hæc a Palao non dicuntur. Sed neque ex ejus sententia inferri possunt. Ratio est: Quia ille labor, pro quo taxatum fuit stipendium, sæpissimè non habet ex JURE NATURÆ pretium intrinsecum fixum, & determinatum; sed hoc multùm pendet ab arbitrio Principis. Aliter quando hic Romæ aliquis Pontifex pro eodem prorsus labore & officio imminuit vel auget stipendium constitutum ab alio Pontifice, ut sæpe accidit; vel decessor vel successor peccaret contra justitiam commutantem, & contra legem naturæ. Posito autem, quod ille labor non habeat EX JURE NATURÆ pretium intrinsecum fixum & deter-

K mi-

minatum, atque, ut ita loquar, indivisibile; illa determinata justitia jurata taxæ pendebat etiam a lege positiva Principis, qua proinde abrogata ab usu contrario, determinata illa justitia non perseverat; & usus contrarius non abrogat ullam legem naturæ, sed solam legem Principis positivam.

Advertantur duo, ne cavillationibus detur locus. Primum: quando dico laborem sæpe non habere ex JURE NATURÆ pretium intrinsecum fixum determinatum, atque indivisibile; sed hoc multùm pendere ab arbitrio Principis, vel etiam a legitima consuetudine; intelligo semper intra limites prudentiæ & æquitatis. Secundum: Non propono mihi defendere ullam sententiam: sed solum ostendere, neque Sanchez, neque Palaum res illas absurdissimas docuisse, quæ conglobantur a P. Concina in sua declamatione.

At dicet P. Concina, se adduxisse Sanchez, & Palaum, ut citatos invenit in Leandro. COLLIGAT NECESSITATEM LEGENDI AUCTORES IN FONTE. Quæ necessitas multo gravius urget, præsertim rigidioris Ethices Professorem; quando agitur de imponendis auctoribus sententiis invidiosis, quæ eorum famam graviter lædunt; & quando quis sibi proposuit eos auctores e legentium manibus exterminare: quod fuisse sibi propositum non semel fatetur P. Concina in hac sua Christiana Theologia.

Certè non ita se gerit cum suis Dominicanis. Ut plurima exempla nunc prætercam, recolantur quæ dicta sunt capite superiori. Ut vidit citatos apud Cardenam Sylvestrum, & Armillam; properavit confestim ad legendos eos in fonte; & pronunciavit FALSO esse citatos. Quamquam ipse falsus sit; siquidem, ut vidimus illud ipsum docent, quod docet Cardenas.

CA-

CAPUT XXXIV.

Restituitur suæ integritati sententia Tamburini.

P. CONCINA Tom.4. pag. 201. in Catalogo propositionum, quas offert ut damnandas.

An cum indignis possint filii licitè contrahere, Patre, vel Genitrice dissentiente? Fateor probabile esse, ac tutum, quod possint. Tamburinus lib.5. in Decalogum cap.2. §.3. num.5.

Et inferius pag.212. refellit LAXISSIMAM, ut ipse ait, hujus Theologi opinionem: *quia* (sunt ejus verba) EJUSMODI MATRIMONIA PLURA CONSEQUI SCANDALA SOLENT, JURGIA, RIXÆ, DISSIDIA, FAMILIARUMQUE GRAVISSIMA INCOMMODA.



Si Tamburinus non habet aliud, nisi illud quod P. Concina recitat, ut damnabile; nulli querelæ locus est. Sed quid, si Tamburinus alia subdit, quæ illam sententiam temperant, limitant, plurimumque coercent? Quid, si Tamburinus docet ea matrimonia non licere, si timeantur secutura illa mala, propter quæ non licere propugnat ipse P. Concina? Jactabitne se INTEGRE' referre sententias Jesuitarum?

Itaque Tamburinus postquam *num.* 5. ea dixit, quæ a Patre Concina tamquam damnanda recitantur, hæc subdit *num.6.*

Hæc dicta sunt, quando ex ejusmodi matrimonio NON TIMETUR FORE, UT SEQUANTUR GRA-

VIA MALA, SIVE SCANDALA, SIVE ALIA INCOMMODA. *Tunc enim, ut notat Sanchez* loc. cit. num. 11. *contra charitatem ex alio capite, quàm ex parentum involuntario, peccati labes posset emergere.*

Eamdem Tamburini opinionem avulsam a contextu, & a limitationibus appositis a Tamburino, proposuit Henricus a S. Ignatio in suo Catalogo *num.* 90. Sed oporteret legere Jesuitas in fonte, & non tantùm in Henrico a S. Ignatio, & similibus.

CAPUT XXXV.

Restituitur suæ sinceritati sententia Sanchez.

P. CONCINA Tom. 4. pag 225.
Loquens de censura a Tridentino imposita cogentibus Filias ingredi Religionem.

Quare non placet opinio Leandri, qui disput. 6. quæst. 21. NEGAT *cum Bonacina, &* SANCHEZ *subjacere censuræ huic illos, qui* GRAVI TIMORE *perterrefactas filias cogunt profiteri statum monasticum.*

..*

HÆc est manifesta impostura contra P. Sanchez. P. Sanchez non modo NON NEGAT subjacere illi censuræ, qui GRAVI TIMORE, idest cadente in constantem virum, perterrefaciunt filias, ut profiteantur statum monasticum; sed expresse affirmat: Parum hoc: sed affirmat UT CERTUM: etiam parum: sed notat respectu filiarum posse esse gravem, & cadentem in constantem virum timorem illum, qui respectu personæ for-

tio-

tioris levis esset, Audi ipsum *lib.4. in Decalogum cap. 4. num.4.* ubi agit de illa censura imposita a Tridentino cogentibus fœminas.

Tertium dubium est, an comprehendantur qui solo metu LEVI, AUT NON CADENTE IN VIRUM CONSTANTEM COGUNT. *Et quidem* CERTUM EST COMPREHENDI, *quando is metus respectu personæ cui incutitur* EST CADENS IN VIRUM CONSTANTEM; *etsi respectu personæ fortioris esset* LEVIS.

At etiam hic deceptus est a Leandro. Falsum. Nam neque ipse Leander docet sententiam, quam illi affingit P. Concina, neque citat pro ea Sanchezium. Allucinatio P. Concinæ in eo fuit, quòd non distinxit TIMOREM GRAVEM, & timorem gravem JUSTE' INCUSSUM. Ipse locutus est de TIMORE GRAVI *in genere*. Et Leander locutus est de timore gravi JUSTE' INCUSSO *in specie*; & pro hoc citavit Sanchez, de quo statim. Sed prius audiamus Leandrum *Tract.1. de obligatione parentum erga filios disp.6. quæst.21.* Ubi sic.

An incurrant dictam censuram parentes, qui metu gravi JUSTE' ILLATO *cogunt filias ad Religionem? Respondeo, quod non incurrant, quia tunc non intervenit* INJURIOSA *coactio parentum. Sic Bonacina* loco citato num.4. *Pellizarius* num.30. *& tandem Sanchez* num. 5.

Porro de hoc metu gravi JUSTE' INCUSSO loquitur Sanchez. Et neque omnino affirmatè pronunciat, non subjacere dictæ censuræ parentes, qui hunc timorem incutiunt; sed cum duplici temperamento. Primò enim dicit, esse PROBABILE, ob talem timorem non incurri dictam censuram, quemadmodum est PROBABILE, ob talem timorem non irritari professionem, & Matrimonium. Secundò requirit ad vitandam censuram, ut talis timor licèt JUSTUS, non incutiatur ad extorquendum illum finem; sed sit potius ostensio viæ, qua quis possit evadere periculum pœnæ justæ. Ut si Pater dicat Filiæ: Possum justè te accusare in judicio ob talem crimen,

men, ut subeas talem pœnam justam. Ostendo tamen tibi modum vitandi hanc justam pœnam: Si enim ingrediaris Monasterium, non te accusabo. En verba Sanchezii *cit. num.5.*

Comprehenderentur verò cogentes metu gravi JUSTE' ILLATO: *Ut si quispiam JUSTAM delicti gravis accusationem minetur alicui nisi ingrediatur Religionem, retenta opinione probabili, quam* cap. præced. num. 19. *tenent aliqui, nempe irritari professionem hoc metu extortam. Quod si teneamus contrariam, quam ibi* num.20. *tenuimus, videlicet non irritari; dicendum est subinde non incurri, juxta regulam Glossæ* num. præced. *traditam. In utraque tamen opinione dicendum est non incurri, quando metus non incutitur ad extorquendam professionem, sed tantum datur via evadendi ex periculo metum patienti, si profiteri eligat.*

Videtis, Lectores, quam diversam faciem præseferant sententiæ, quando leguntur in suis Auctoribus, ac quando leguntur in P. Concina? Detruncavit illas voces JUSTE' ILLATO, atque ita deformavit sententiam Leandri, & multo magis Sanchezii adeo limitatè loquentis, ut ostensum est. Posset P. Concina aliquanto longius propulsare rancidulam cantionem.

CA-

CAPUT XXXVI.

Vindicatur ab impostura P. Viva, & restituitur suæ integritati opinio P. Amici.

P. Concina Tom. 4. pag. 310., & 311. post recitatam propositionem 17. Alexandri VII. de occisione calumniatoris, ita pergit.

Hanc propositionem docuit P. Franciscus Amicus disp. 36. de Justitia num. 118. P. Dominicus Viva in sua trutina ad hanc 17. propositionem contendit, P. Amicum, DISPUTATIONIS GRATIA *propugnasse hanc sententiam....* AT QUONAM *quæso* PRINCIPIO *id asserit P. Viva cùm* HOC NON INDICET *P. Amicus, qui* ABSOLUTE', NULLAQUE DECLARATIONE ADJECTA *hanc* SANGUINARIAM *doctrinam in lucem publicis typis evulgavit? ....* HINC COLLIGAT LECTOR, QUANTI FACIENDA SINT INTERPRETAMENTA P. VIVA. *Probabilistarum nonnulli laxa commenta evulgant: opiniones* ERRONEAS *typis edunt, quæ Lectorum mentes, & animas inquinant. Cùm autem ad Evangelicæ doctrinæ tribunal revocantur, tum* CLAMANT, AUT NON ESSE SINCERE' EXCERPTAS, AUT ALIO IN SENSU, AUT DISPUTATIONIS GRATIA PROPOSITAS FUISSE.



Ergo, si credimus Patri Concinæ sincerissimè Jesuitarum sententias referenti, P. Amicus non proposuit eam opinionem DISPUTATIONIS GRATIA: P. Viva NULLO PRINCIPIO id asseruit: Pater Amicus id NON IN-

INCIDAT : P. Amicus NULLA DECLARATIONE ADJECTA sanguinariam doctrinam in lucem edidit. Audiatur P. Amicus, qui postquam proposuit momenta rationum pro damnata postea illa opinione, dictum numerum 118. ita concludit.

Verùm quia hæc apud alios scripta non legi, NOLO ITA SINT DICTA, UT COMMUNI SENTENTIÆ ADVERSENTUR : SED SOLUM DISPUTANDI GRATIA, *maturo judicio relicto apud prudentem Lectorem*.

Hactenus conceptissimis verbis P. Amicus. Habuit ne P. Viva ALIQUOD PRINCIPIUM ID ASSERENDI? INDICAT NE HOC P. Amicus? Evulgavit ne typis SANGUINARIAM doctrinam NULLA DECLARATIONE ADJECTA? Tam intrepidæ imposturæ fieri ne possunt evidentiores? HINC COLLIGAT LECTOR, QUANTI FACIENDÆ SINT ASSERTIONES PATRIS CONCINÆ.

Utrum verò JURE clamemus, præfatam opinionem DISPUTATIONIS GRATIA fuisse propositam: utrum jure clamemus, sententias Jesuitarum sæpissimè non esse SINCERE' EXCERPTAS, INTEGRE' relatas, atque IN SUO VERO NATIVOQUE ADSPECTU COLLOCATAS ex dictis, & dicendis Lectores judicabunt.

Sed ut Zelo Patris Concinæ in præsentia præter modum succenso latior campus aperiatur ad insectandas sanguinarias doctrinas: placet ipsius oculis subijcere, quo hoc in genere progressi fuerint quidam alii Theologi non DISPUTATIONIS GRATIA, ut Amicus; sed ABSOLUTE, NULLAQUE ADJECTA DECLARATIONE.

Cajetanus Dominicanus docuit, posse de consensu Principis acceptari duellum oblatum a calumniatore, qui obtinebit a Judice occisionem, vel mutilationem innocentis; quando non detur alia ratio evadendi illa mala a calumniatore mediante Judice inferenda. En ejus verba 2. 2. *quæst.95. a.* 8. In

In uno tamen casu licitum mihi videtur acceptare duellum, quando scilicet accusator evidenter calumniatur, & prævalet contra me innocentem ad mortem, vel mutilationem. Tunc enim ex quo accusator impetit me Judicis gladio injustissimè, sine dubio occidet, vel mutilabit me; ego non habens aliud refugium, habeo justum bellum defensivum contra eum. Et propterea si ipse offert mihi duellum, ego possum acceptare de consensu Principis, & tueri me meliori modo, quo possum.

Dominicus Bannez Dominicanus docuit Primo, posse occidi aggressorem, qui paravit insidias, tametsi non sit, ut dicimus, *incontinenti*; tametsi tunc non aggrediatur PHYSICE', sed solum MORALITER, quatenus jam posuit actionem connexam cum meo damno; tametsi tunc QUIESCAT: si non potest alia ratione vitari damnum illud. En ejus verba 2. 2. *quæst.64. art.7. concl.2.*

Postquam jam aggressor fecit aliquam actionem parando mihi insidias, quas ego aliter effugere non possum nisi occidendo illum; tunc licitum est mihi MEDIO TEMPORE *antequam instet meum damnum occidere insidiantem,* ETIAMSI PRO TUNC QUIETUS SIT. *Ratio est, quia tunc propriè loquendo est defensio vitæ meæ: nam profecto* MORALITER *loquendo ille est* ACTUALIS *aggressor. V.G. In casu posito potest mulier adultera occidere maritum, de quo certa est, quod jam habet vel venenum paratum, vel gladium, aut quid simile: tunc enim vim repellit* MORALITER *loquendo; quamvis* PHYSICE' *pro tunc maritus nihil agat.*

Dominicus Soto Dominicanus loquens non quidem universaliter, ut Bannez, sed de casu uxoris, & item non adulteræ, sed innocentis, cautissimè sine dubio disputat. Admittit nihilominus, damnandam non esse talem uxorem, quod maritum præveniat, si hæc præventio sit defensio, non aggressio. En ejus verba *lib. 5. de Justitia quæst. prim. art.8.*

Fac innoxiam mulierem eodem lecto cum marito jacen-

tem evidenter scire, eum sub cervicali abdidisse gladium, quo ipsam dormientem jugulet; neque patere miseræ suffugium aliud: numquid non ipsa posset eumdem gladium furtim arripere, & fabulam antevertere? Profecto res est dubia. Ad quam aliud responderi non potest, quam quod dum actus ille aggressio est, nullatenus est licitus, SI TAMEN EST DEFENSIO, NON EST CUR CONDEMNETUR.

Sed omisso Soto, qui, ut dicebam, cautissime loquitur, redeamus ad sanguinarias doctrinas Magistri Bannez. Igitur

Idem Bannez docet Secundo, posse occidi calumniatorem, qui vadit ad Judicem, & admonitus non vult retrocedere, si aliter non possint defendi vita, vel RES. En verba ibidem.

Similiter dico de secundo casu: quod si ille qui vadit ad Judicem fuerit admonitus, & noluerit retrocedere; poterit is, qui injuriam patitur, occidere illum defendendo se, VEL SUA, *si aliter non potest*.

Idem docet tertio, similiter esse discurrendum de illo, qui INJUSTE' vadit ad Judicem, ut accuset de crimine vero, sed occulto, ex qua accusatione certum immineat periculum vitæ, vel INFAMIÆ. En verba ibidem in responsione ad primum argumentum.

Sed rogat quis, quid agam ego, si quis vadat ad me accusandum de crimine VERO, *sed occulto, ex cujus accusatione mihi certum periculum creatur mortis*, VEL INFAMIÆ? *Respondetur, quod si ille non habet jus ad me accusandum, neque procedit secundum justitiam legalem, ita me possum defendere ab illo, sicut ab imponente falsum crimen*.

Idem docet quarto, seu potius magis expresse confirmat, non requiri, ut occisio sit *incontinenti*; seu non requiri, ut aggressio sit actualis PHYSICE'; sed sufficere ad licitam occisionem, si sit actualis MORALITER. Etenim postquam in tertio argumento sibi ita objecisset

= Pro-

= Propriè vis non dicitur, nisi quando aliquis ACTUALITER aggreditur aliquo facto per se nocivo. Sed ille accusator nondum sic aggreditur. Ergo tunc non verificatur, quod vim vi innocens repellit = respondit objectioni his verbis.

Ad tertium argumentum respondetur, quod MORALITER *loquendo ille jam coepit facere vim,* QUANDO APPONIT CAUSAM CERTAM PERICULI FUTURI: *sicut, qui parat laqueum pedibus meis in loco per quem mihi necesse est transire; neque enim debeo expectare ad repellendam vim, quando jam nullum erit remedium. Sed tunc verè me defendam,* QUANDO JAM POSITA EST ALIQUA ACTIO, PER QUAM PER BONAM CONSEQUENTIAM SEQUITUR MEUM PERICULUM; *alioquin postea nullus est locus defensioni relictus.*

Magister Serra Dominicanus 2. 2. *quæst.*64. *a.* 7. admittit totam doctrinam Magistri Bannez, hoc uno excepto, quod putet nullum, vel metaphysicum esse casum, quo necessaria sit aggressoris occisio pro defensione honoris, quia = *Vix est*, inquit, *quod honor non possit aliter defendi, quàm per mortem occisoris* = In cæteris cum Bannezio convenit; ejusque verba non refero, quia ferme syllabatim Bannezium excribit.

Si doctrinas Cajetani, Bannezii, & Serræ in aliquo Jesuitarum libro P. Concina reperisset, quàm acres declamationes non audiremus? Ut statim in catalogum propositionum damnandarum illas conijceret? Ut statim ad evangelicæ doctrinæ tribunal eas revocaret? Ut statim proferret hanc propositionem 18. damnatam ab Alex. VII. = *Licet interficere falsum accusatorem, falsos Testes, ac etiam Judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare* =? Et tamen illi Dominicani ne levissimè quidem sollicitantur. Magnum argumentum VACUITATIS a studio partium.

Hæc verò a me commemorata sunt, non ut quidquam iis Theologis sanè doctissimis detraham. Sed ut vi-

deat I. P. Concina, sapientissimos etiam Auctores in aliquibus non leviter labi; nec tamen ideo ex omnium manibus exterminandos esse. Ut videat II., quod ipse hoc in loco *pag.*312. *num.*5. interrogat, UNDENAM TAM SANGUINARIA, TAM IMMANIS, TAM EFFERATA ERUPERIT THEOLOGIA: è sua nimirum schola, & e fontibus Patre Amico antiquioribus. Ut videat III. quod apertius videre poterit in decursu; nos quoque posse, si liberet, catalogos laxarum propositionum pertexere; Indices conficere; altùm declamare; præsertim cum nobis etiam Verrinæ, Catilinariæ, Philippicæ non omnino ignotæ sint.

CAPUT XXXVII.

Vindicatur ab impostura idem P. Viva.

P. Concina Tom.4. pag.311. post sua verba capite Superiori relata nullis interjectis ita pergit.

Verùm misso P. Amico; dico, ipsum P. Dominicum Viva in commentariis præfatæ propositionis damnatæ quidpiam docere, quod, ut ego quidem arbitror, AUT PEJUS EST, AUT SALTEM ÆQUE NOXIUM, *ac propositio damnata. Quippe thesis proscripta, ob enormia crimina, & magnam infamiam irreparabilem, calumniatorem occidendum asserit.* AT P. VIVA ULTRA PERGIT: *& magnitudine criminum ac infamiæ prætermissa, statuit,* IN ALIQUO CASU *aliquam dehonorationem sustinendam esse.* „ Ideo toleranda potius IN ALIQUO CASU ab innocente aliqua dehonoratio, quàm permittenda defensio isthæc occisiva „ *loc. cit. n.*4. ERGO EXCEPTO ALIQUO CASU *absolutè non est toleranda ab innocente aliqua dehonoratio.* ERGO *gravis dehonoratio seu infamia absolutè* IN NULLO CA-

CASU *ferenda erit*. *Quæ sanè* ILLATIONES *sunt in relata propositione evidenter proscriptæ* .

§:(o):(o):(o):(o):§

CLAMAMUS, opinionem P. Vivæ non esse SINCERE EXCERPTAM. Clamamus, DIVERSISSIMO IN SENSU a P. Viva fuisse propositam. Clamamus, ILLATIONES P. Concinæ a doctrina Patris Vivæ non DIALECTICE, sed CALUMNIOSE deductas esse. Ut hæc omnia evidenter pateant, afferendus est prius integer textus P. Vivæ in commentario præfatæ propositionis 17. n.4. qui sic habet.

Ratio a priori, *cur* NEMINI ID LICEAT, (occidere calumniatorem) *fundatur in illa Maxima*, *&* *Regula generali*, *quod scilicet*, *ut possit invasor licitè interfici*, DUO REQUIRUNTUR: *&* *quod* EVIDENTER DAMNUM GRAVE INFERAT & QUOD EVIDENTER NON POSSIT MORALITER ALIA VIA DAMNUM ILLUD IMPEDIRI. *Aliter*, *ut notant communiter Doctores*, *innumeris cædibus aperiretur ostium cum magna reipublicæ perturbatione*. *Sed in casu nostro* NEQUE EST EVIDENS, *quòd damnum grave sequatur ex eo quod aliquis nitatur calumniam inferre*; *cùm sæpe calumnia apud cordatos viros ut calumnia habeatur*, *atque adeo solum calumniatorem dehonestat*. NEC EST EVIDENS, *quòd non possit aliter gravis infamia declinari*; *nempe per Judicem*, *adhibendo testes*, *&c.* ET QUAMVIS ALIQUANDO (attendat, quæso, lector, nam hic est ille ALIQUIS CASUS, quem calumniosè interpretatur P. Concina) POSSIT ALICUI UTRUMQUE EVIDENS APPARERE, *&* *quod grave damnum ex parante calumniam immineat*, *&* *quod non suppetat alius modus illud declinandi*, *quàm per necem invasoris*; NON PROINDE LICITA ESSE POTEST CALUMNIATORIS OCCISIO, QUIA FACILE HOMINES EX PASSIONE

HAL-

HALLUCINANTUR; UNDE DEBUIT ABSOLUTE A NATURA TALE MEDIUM AD VITANDAM CALUMNIAM PROHIBERI: *eo quòd majus esset damnum in republica ex frequentibus cædibus, quæ haberentur, quàm bonum quod inde sequeretur. Et quia bonum publicum prævalere debet privato* (nunc incipiunt verba, quæ sola recisa & avulsa a reliquo contextu recitavit P. Concina) *ideo toleranda potius* IN ALIQUO CASU *ab innocente aliqua dehonoratio, quàm permittenda defensio isthæc occisiva.*

Supposito integro textu; non dico probabile, sed evidens est, ea verba IN ALIQUO CASU, non habere sensum attributum a P. Concina; scilicet, EXCEPTO ALIQUO CASU, IN CETERIS OCCIDI POSSE CALUMNIATOREM: sed hunc alium, TAMETSI ALIQUANDO UTRUMQUE ILLUD POSSIT INNOCENTI APPARERE EVIDENS; NIHILOMINUS ETIAM IN TALI CASU, QUI POTEST ALIQUANDO CONTINGERE, FERENDA EST POTIUS AB INNOCENTE ALIQUA DEHONORATIO, QUAM PERMITTENDA A NATURA DEFENSIO ISTHÆC OCCISIVA: quæ proinde, ut ait P. Viva, debuit a natura ABSOLUTE, idest in omni casu tum in eo, quo detur duplex illa evidentia, tum in iis, quibus non detur duplex illa evidentia prohiberi.

Paucis. Ex integro contextu evidens est, P. Vivam in NULLO prorsus casu concedere licitam occisionem calumniatoris. Demonstro hoc ratiocinio fortasse feliciori illationibus Concinianis.

Vel UTRUMQUE ILLUD, nempe & quòd sit grave, damnum illatum a calumniatore; & quòd non possit moraliter alia via aliud damnum impediri: Vel inquam, UTRUMQUE ILLUD apparet EVIDENTER innocenti; Vel non apparet EVIDENTER. Nullus est casus intermedius; versamur siquidem inter duas propositiones sibi mutuo contradicentes. IN CASU, quo UTRUM-

TRUMQUE ILLUD appareat EVIDENTER, non est licita per P. Vivam occisio calumniatoris, quia homines ex passione hallucinantur; & debuit etiam IN TALI CASU defensio occisiva a natura prohiberi. IN CASU, quo UTRUMQUE ILLUD non appareat EVIDENTER, a fortiori multo minus licita est talis occisio. Ergo per P. VIVAM IN NULLO prorsus casu occisio calumniatoris licita est.

Sed quid opus est argumentis, cùm habeamus ipsum P. Vivam apertissimum & clarissimum suimet interpretem? Audi hæc ejus verba in Propositionem 2. Alexandri VII. num.9.

Dubitatur tamen hic primo, an liceat saltem Viro equestri duellum acceptare a provocante, quem scit suum esse calumniatorem, quin possit alia via gravem ignominiam a calumnia provenientem repellere, quam illum occidendo? Respondeo nullatenus posse (Cajetanus docuit posse de consensu principis) *sicut* NON LICET *hunc calumniatorem occidere, ut constat ex propositione* 30. *Innoc. XI.... quod pariter confirmant propositiones* 17., *&* 18. *ab eodem Alexandro VII. confixæ..... Et ratio videtur esse..... quia facile homines sibi persuadent, se per calumniam offendi, nec aliam viam evadendi suppetere præter mortem calumniatoris. Et quamvis* IN ALIQUO CASU *certissimè constaret tum de calumnia; tum de carentia alterius medii ad ignominiam vitandam præter mortem calumniatoris;* NEQUE POTERIT EO CASU *aut occidi calumniator, aut acceptari duellum..... posito quod de se, & fere semper animus in hac re obnoxius est hallucinationi.*

Audistin QUEM CASUM significent illa verba Vivæ IN ALIQUO CASU toleranda est potius dehonoratio? Significant CASUM, quo UTRUMQUE ILLUD certissimè constet; appareat evidenter. IN QUO NIHILOMINUS NON EST LICITA OCCISIO CALUMNIATORIS. Ex quo quælibet dialectica rectè inferet. ER-

GO

GO MULTO MINUS licita erit in aliis, in quibus UTRUMQUE ILLUD non est evidens.

Audi etiam hæc alia ejus verba in Propositionem 27. ejusdem Alex. VII. num 9.

Sicut in casu adducto impossibile moraliter est, quòd nequeat alia via vitari ignominia orta a calumnia, quam per occisionem calumniatoris: Et idcirco ne aperiatur ostium homicidiis, & vindictis, NUMQUAM LICET *has opiniones in praxim deducere; etiamsi* aliquando *quis credat* EVIDENS *esse quod alia via non suppetit, ut loco laudato* (nempe loco, quem versamus, & quem P. Concina calumniosa interpretatione deformavit) *ostendimus.*

Audistin quid P. Viva profiteatur se ostendisse in hoc loco? NUMQUAM LICERE. Sed potest P. Viva repetere quantum velit, & clamare usque ad sydera NUMQUAM LICET. Dialectica Patris Concinæ semper infert, Patrem Vivam docuisse aliquid pejus propositione damnata, vel æque noxium: Docuisse scilicet, EXCEPTO ALIQUO CASU, in ceteris omnibus licitam esse occisionem calumniatoris.

CAPUT XXXVIII.

Restituitur sua integritati sententia P. Sanchez.

P. Concina Tom. 4. pag. 355. in catalogo propositionum, quas recenset ut damnabiles.

Si Rusticus a Viro existimato docto ac pio audisset, fornicationem & furtum externa esse peccata: At licere fornicandi aut furandi desiderium; quibusdam neotericis doctis videtur hanc ignorantiam minime excusare; quòd hic

hic liberè velit obiectum externum, quod esse peccatum novit..... Quamvis hoc probabile sit; probabilius tamen credo illum actum internum excusari omnino a malitia. Sanchez lib.1. in Decal. cap.16. n.16. & 17.



CLamamus sententiam Patris Sanchez non esse INTEGRE propositam; & detruncata illa esse, quæ non modo eam temperant, sed ejus sensum immutant. Nam in propositione, ut refertur a Patre Concina, nulla fit mentio IGNORANTIÆ INVINCIBILIS. Et P. Sanchez exprefsè loquitur de rustico, qui sciat quidem fornicationem externam, & furtum externum esse peccata; tamen INVINCIBILITER IGNORET, esse peccatum desiderium internum. Et de hoc loquens dicit probabilius esse, hunc non peccare in desiderio interno RATIONE ILLIUS IGNORANTIÆ INVINCIBILIS. Porro, est ne idem sensus, est ne sententia adeo invidiosa, affirmare hoc de rustico IGNORANTE INVINCIBILITER, ac esset affirmare de rustico sine ulla mentione IGNORANTIÆ INVINCIBILIS? En igitur totus textus Sanchezii loco citato.

Demum circa IGNORANTIAM INVINCIBILEM *triplex difficultas restat. Prima est*, an INVINCIBILITER IGNORANS, *actum internum esse peccatum, cognoscens tamen actum externum esse peccatum, excusetur a culpa actum solùm internum admittens. Ut si Rusticus a Viro existimato docto ac pio audisset fornicationem & furtum externa esse peccata; At licere fornicandi aut furandi desiderium, quibusdam neotericis doctis videtur, hanc ignorantiam minimè excusare, quòd hic liberè velit obiectum externum quod esse peccatum novit.... Quamvis hoc probabile sit; probabilius tamen credo, illum actum internum excusari omnino a malitia* RATIONE ILLIUS IGNORANTIÆ INVINCIBILIS.

Non defendo, more meo, sententiam Sanchezii, etiam ut ab ipso scripta est. Sed quæro a P. Concina, cur detruncavit hæc ultima verba, sine quibus non rectè percipitur Sanchezii mens, & sententia apparet multo durior? Ipse Henricus a S. Ignatio proponens ut damnandam eamdem Sanchezii doctrinam in suo celebri catalogo num.127., & Theologia moralis Jesuitarum eamdem referens pagina 100. non suppresserunt, ut P. Concina, illa ultima verba RATIONE ILLIUS IGNORANTIÆ INVINCIBILIS.

CAPUT XXXIX.

Restituitur suæ integritati sententia P. Vasquez.

P. Concina Tom.4. pag. 354. in eodem catalogo.

Dicendum est, peccata luxuriæ contra naturam, etiamsi magis turpia appareant, & majori nota infamiæ digna, EX GENERE *tamen* SUO *minora esse, quàm peccatum furti. P. Vasquez in 1. 2. D. Thomæ Tomo 1. quæst.73. a.4. in notation. num.30.*



SI P. Concina referret integrè propositionem P. Vasquez, nec detruncaret rationem, quam Vasquez nullis interiectis adiungit, multo minorem invidiam apud lectores DOCTOS Vasquez subiret. Hæc igitur est ratio statim adiuncta, & a P. Concina resecta.

Quia furtum JUSTITIÆ; *illa autem peccata* CASTITATI *opponuntur*.

Hæc

Hæc autem ratio manifestat, sententiam P. Vasquez ex principiis S. Thomæ deductam esse, ut re ipsa illam deducit Vasquez in illo articulo. Deducitur verò hoc pacto.

Majori virtuti opponitur majus peccatum. Hæc propositio major traditur a D. Thoma citato artic.4. in corpore, ubi sic: *Dicendum, quod virtuti opponitur aliquod peccatum, uno quidem modo principaliter & directè, quod scilicet est circa idem obiectum; nam contraria circa idem sunt; & hoc modo oportet*, QUOD MAJORI VIRTUTI OPPONATUR MAJUS PECCATUM.

Atqui JUSTITIA, cui opponitur furtum, est virtus major CASTITATE, cui opponuntur illa peccata. Hæc minor traditur a S. Thoma 1. 2. quæst.66. artic.4. ubi in Corpore probat hoc ipsum, & post allatas rationes sic concludit: *Unde* JUSTITIA EST PRÆCLARISSIMA VIRTUTUM, *ut dicitur in quinto Ethicorum.*

Ergo furtum est majus iis peccatis; sive illa sunt minora furto. Hæc consequentia legitimè descendit.

Videtis, opinor, lectores, quantum noceat P. Vasquez suppressam esse illam rationem, quam ipse statim adiunxit.

Prædictam Doctrinam P. Vasquez detruncata item ratione proposuit Henricus a S. Ignatio in suo Catalogo num.29.

CAPUT XL.

Vindicatur a calumnia quater repetita P. Gobat.

P. Concina Tom.4. pag.355. in eodem catalogo propositionum damnabilium.

Liquido scio crebro fieri, præsertim inter plebejos & rusticos, ut in eodem lecto puella cum proco cubent aliquot horas induti & exuti; & tamen nihil omnino impudicum agant; vel NON NISI OSCULA, & TURPES ATTRECTATIONES EXERCEANT: (advertant diligenter lectores ad illa duo puncta, quibus solis P. Concina distinguit orationem superiorem ab iis, quæ sequuntur) *unde judico non posse a Confessario negari absolutionem omnibus illis puellis plebejis, quæ non videntur habere propositum numquam amplius admittendi procum in lectum suum. Idem* (Gobat) *volum.2. cui titulus* Quinarius tractatuum *tract.5. cap.32. sect.2. n.19. & 20. pag.552. & 553. edit. Costantiensis anno* 1670.



QUater hanc calumniam impegit P. Concina Gobato. Semel hic. Iterum hoc 4. Tomo pag.438. Tertium Tomo 9. pag.9. ubi iterum illam offert ut damnabilem in alio catalogo. Postremo eodem Tom.9. pag 462.

Dixi calumniam. Nam P. Concina detruncando verba Gobati, quæ maximi momenti sunt; confundendo quæstiones, quas Gobatus distinguit; & coniungendo in unam periodum partes orationis, quas Gobatus separat in diversos paragraphos; mirum quantum deformaverit sen-

ſententiam Gobati, & quàm adulterinis coloribus depictam lectorum oculis propoſuerit. Oſtendo.

P. Gobat citato tractatu quinto, quem inſcribit *Juridico-moralem*, initio ſectionis ſecundæ proponit hanc quæſtionem.

Quæres forte an actiones, quas diximus ſufficere AD VIOLENTAM PRÆSUMPTIONEM ADULTERII, *ſufficiant etiam* AD VIOLENTAM PRÆSUMPTIONEM FORNICATIONIS; *ſi videlicet verſentur circa perſonas omnino ſolutas?*

Huic quæſtioni merè juridicæ, & pertinenti ad forum externum ita reſpondet.

Reſpondeo, abſolutè non ſufficere omnes & ſingulas, eo quòd conſtet, valde ſæpe inter ſolutas exerceri ejuſmodi actiones nonnullas ea ſolùm intentione, ut aliquam diſpoſitionem ad ſponſalia faciant; & (hic incipit propoſitio oblata damnationi) *liquido ſcio, crebro fieri, præſertim inter plebejos & ruſticanos, ut eodem in lecto aliquot horas induti, & exuti cubent, & tamen nil omnino impudicum agant, vel* NON NISI OSCULA, & TURPES ATTRECTATIONES EXERCEANT.

Soluta hoc pacto quæſtione juridica de requiſitis & ſufficientibus AD VIOLENTAM PRÆSUMPTIONEM FORNICATIONIS in foro externo: non interjectis duobus tantùm punctis, ut fecit P. Concina; ſed exordiens a capite alium numerum ſeu paragraphum, & inſtituens quæſtionem moralem ita pergit.

Unde judico, non poſſe a Confeſſario negari abſolutionem OMNIBUS *illis puellis plebejis; aliud ob varias conſiderationes ſentio de nobilibus, quæ non videntur habere propoſitum numquam amplius admittendi in lectum procum ſuum*; (hic deſinit propoſitio Conciniana, & omnia, quæ ſequuntur, & complent ſenſum illorum, quæ immediatè dicta ſunt in hoc paragrapho, P. Concina detruncavit) *ſed ſiqua, ut quandoque fit, aſſerat, illum* SEXIES VEL OCTIES *ſecum in eodem lecto jacuiſſe* (hic Gobat non-

di-

dicit INDUTUM, VEL EXUTUM, ut dixit in quæstione juridica) VERUM NIHIL MALI PETIISSE, AUT FECISSE, *absolvendam videri, esto non proponat, non amplius illum admittere. Ratio est; quia confessarius non debet absolutionem negare poenitenti ea solùm de causa, quòd hic nolit deserere occasiones remotas peccandi; nec enim tenetur eas vitare poenitens.*

His positis, P. Concina, ut videtis, malè consuit in unicam propositionem duas partes, quarum una pertinet ad quæstionem juridicam, altera ad moralem; una ad numerum seu paragraphum superiorem, altera ad numerum seu paragraphum consequentem. Detruncavit verba superiora, ex quibus dignoscitur, primam partem propositionis ab ipso relatæ pertinere ad quæstionem juridicam de PRÆSUMPTIONE. Et, quòd pejus est, detruncavit posteriora, quæ apertissimè ostendunt, Patrem Gobat non concedere absolutionem puellis, quæ OSCULA & TURPES ATTRECTATIONES EXERCUERUNT; sed iis, quæ cum in eodem lecto, non iudutæ & EXUTÆ, cubaverint cum proco aliquot horas SEXIES VEL OCTIES, NIHIL MALI fecerunt, aut rogatæ sunt.

Paucis. Propositio Conciniana persuadet lectoribus, Patrem Gobat concedere absolutionem puellis, quæ indutæ & EXUTAE, OSCULA & TURPES ATTRECTATIONES CUM PROCO EXERCUERUNT. Pater Gobat concedit iis tantùm, quæ cùm SEXIES VEL OCTIES [non exutæ] cum proco cubaverint in eodem lecto per aliquot horas, NEQUE OSCULA, NEQUE TURPES ATTRECTATIONES, NEQUE QUIDQUAM MALI EXERCUERUNT IPSÆ, NEQUE A PROCO PASSÆ AUT ROGATÆ SUNT. Quia, ut ipse ait, in istis circumstantiis, occasio peccandi est tantùm remota.

Ut ut se habeant Germanorum mores; opinionem Gobati, etiam ut ab ipso proponitur, ego non defendo. Hoc tantùm dico, quòd ad meum institutum attinet, eam

eam opinionem fuisse a Patre Concina enormiter deformatam. Et nihilominus præter aliàs ejus querelas, quas attulimus, hanc iterat Tomo 9. Monito 1. pag.XXIV.

Alii, inquit, subinclamant, opiniones esse aut truncatas, aut alio sub aspectu propositas, vel artis rhetoricæ phaleris transformatas.

Aliquam tamen excusationem prætendere hic posset P. Concina. Nam Henricus etiam a S. Ignatio eamdem Gobati opinionem eodem prorsus modo transformatam proposuit in suo catalogo num. 36. sed non satis esse videtur legere Jesuitas in Henrico a S. Ignatio, auctore proscripto, & Janseniana lue inquinato. Verùm COLLIGENDA ESSET NECESSITAS LEGENDI EOS IN FONTE.

Præsertim cum QUATER; ut dictum est, impostura hæc repetatur: Cum P. Concina hoc Tomo pag. 438. gemebundus ita interroget; CONFUTATIONE ISTA EGENT, AN SUNT LACRYMIS ABOLENDA? Et demum cum Tomo 9. pag. 262. ita scribat. NULLA OPUS EST EJUSMODI DOCTRINÆ CONFUTATIONE; SUO ENIM NATURALI HORRORE LECTORES COMMOVET.

CA-

CAPUT XLI.

Vindicatur ab impostura Pater Sanchez.

P. CONCINA Tomo 4. pag. 408.

Culpa ne gravis est adspectus membrorum turpium sive mulieris sive Viri? Resp. SANCHEZ *lib. 9. de matrimonio disput. 46. num. 21...... Et alii* NEGANT, *tales adspectus ob captandam delectationem sensitivam* NOXIOS GRAVITER ESSE..... *Dico, adspicere deliberatè verenda mulieris esse peccatum mortale, quia hæc cum sint valde turpia natura sua* GRAVITER AD VENEREM PROVOCANT. *Idem de muliere verenda viri spectante deliberato animo dicendum est.*

§***§***§

P. SANCHEZ NEGAT præfatos adspectus esse GRAVITER NOXIOS? En quomodo neget citata disput. 46. n. 22.

Absque urgenti necessitate virum conspicere verenda foeminæ, aut e contra, MORTALE EST; *quamvis non ex libidine fiat, sed ex indiscreta mortificatione, aut curiositate..... Quia valde honestati naturali adversatur..... Deinde* (en ratio Patris Concinæ) *quia aspectus talis est urgentissimus luxuriæ stimulus, & gravissimo illius periculo expositus.*

Deinde ita pergit etiam rigidius, quàm P. Concina.

Atque idem credo de partibus valde vicinis membris pudendis ob easdem rationes.

Novum enimvero negandi genus.

CA-

CAPUT XLII.

Vindicantur ab impostura Escobar, & Lessius.

P. CONCINA Tom.4 pag.444.

Daturne materiæ parvitas in genere luxuriæ? Respondeo, ADFIRMAT.... ESCOBAR *Theolog. moral. tract.* 1. *examine* 8. *cap.* 3. LESSIUS *lib.* 4. *de Just. cap.* 3. *dub.* 8. *num.* 49.



ADFIRMAT ESCOBAR, & LESSIUS? En quomodo affirmet Escobar loco citato.

Datur ne in rebus venereis parvitas materiæ? MINIME. *Cùm enim nulla sit tam exigua fornicatio, quin sit peccatum mortale; & delectatio sequatur naturam actus, omnis delectatio morosa in hac materia* ERIT PECCATUM MORTALE.

En quomodo affirmet Lessius lib. cap. & dub. citatis, sed num.59. non 49.

Hæc sententia (de parvitate materiæ in genere luxuriæ) *videri possit* ALICUI (non dicit sibi) *probabilis, & speculativè vera. Unde in eam valde inclinat Navarrus, eamque tenet Martinus de Magistris, & aliqui recentiores.... Verùm* COMMUNIOR *sententia est in istis esse* PECCATUM MORTIFERUM; *quæ* ET MIHI PROBATUR; *tum quia communior; tum quia tutius est, ut omnia ista quam maximè vitentur.*

Capite superiori vidimus novum negandi genus. Videmus hoc capite novum genus affirmandi.

CAPUT XLIII.

Vindicatur ab injusta criminatione Busembau, & La-Croix.

P. CONCINA Tom. 4. pag. 456.

P. Claudius La-Croix lib. 3. p. 1. num. 916. EX BUSEMBAU, *&* *Taberna* DICIT; *puellam non peccare, si ob evidens periculum mortis, vel ingentis infamiæ non adhibeat omnia omnino media ad depellendum stupratorem;* V.G. *si hunc, cùm possit, non occidat, si non inclamet viciniam; sed merè patiatur coitum,* TAMEN SECLUSO OMNI PERICULO CONSENSUS; *& licet hanc propositionem editis libris teneant Auctores plusquam 50...... tamen non expedit eam* PUBLICE' *proponere, aut defendere, quia apta est causare abusus, præsertim apud rudes.*

Et paulo post subdit.

CORNELIUS *a Lapide linguarum peritia, eruditione, atque doctrina inter divinæ Scripturæ interpretes valde conspicuus recensitæ opinioni auctoritatem conciliavit.*

Et paulo infra.

Dico ergo, laudatam sententiam CORNELII *a Lapide aliorumque recentiorum falsam, improbabilem, &* LAXAM *esse; atque* CUM SACRA SCRIPTURA MANIFESTE' PUGNANTEM.

Et hoc Tom. 3. pag. 355. illam opinionem in suo *Catalogo propositionum damnabilium* recensuerat; apposito solo nomine CORNELII *a Lapide.*

Hic

HIc habemus injustam criminationem adversus Busembau, & La-Croix; & invidiam injustissimè constatam CORNELIO a Lapide.

Busembau præfatam opinionem non propugnat; illam non tractat; illam non attingit; ne minimam quidem de illa mentionem facit: vel P. Concina doceat UBI?

La Croix nusquam pro illa opinione citat Busembau; vel item P. Concina indicet locum. Certe hoc in loco, quem habemus præ manibus, nihil est hujusmodi. En omnia verba Patris La-Croix.

Taberna p.1. t.1. c.3. §.1. dicit, puellam non peccare, si ob evidens periculum mortis, vel ingentis infamiæ non adhibeat omnia media ad depellendum stupratorem: Cum reliquis recitatis a P. Concina.

Ubi hic P. La-Croix nominat Busembau? Ubi illud DICIT EX BUSEMBAU? Perfectiora perspicilla comparet sibi P. CONCINA, quando ipsi Auctores Societatis legendi sunt.

Injustissimè deinde tota ejus opinionis invidia exoneratur nominatim in solum Cornelium a Lapide. Mitto, nullum patronum ejus sententiæ, ex iis quidem quos ego legerim; legi autem multos, sed non omnes; adducere auctoritatem CORNELII a Lapide. Mitto hoc.

Ante Cornelium docuerat hanc sententiam (quidquid in oppositum dicat P. Concina, de quo postea) Dominicus Soto doctissimus Dominicanus lib.5. de Just. qu. 1..art.5. his verbis.

Quod si hic obiter quæras, quid ferre debeat pudica puella, antequam in stuprum CONSENTIAT? *Revera quodcumque genus mortis. At vero, utrum si non pro virili sua contra pugnet, membrisque resistat, sed immota manens nihil agat, consentire censeatur? Respondetur. In*

foro exteriori si immobilis tacensque maneret ; rea stupri judicaretur . Sic enim jubebatur Deuteronomii 12. ut puella , quæ in urbe comprimeretur , quia tacuerat , lapidibus obrueretur . Tamen IN FORO CONSCIENTIÆ TANTUM TENETUR NON CONSENTIRE ; *neque se sceleri accommodare* . QUOD SI METU TACET , NON PECCAT MORTALITER ; *dummodo nullum præbeat consensum . Neque verò manum in alterum tenetur inijcere. Tametsi quæ honesta est , & ingenua , non debet facere quantum debet , sed quantum potest* .

Conatur quidem P. Concina quoquo modo Sotum defendere ; sed frustra . Dicit , Sotum Susannæ , de qua loquitur Cornelius a Lapide , non meminisse . Hoc verum est : sed loquitur generatim de quacumque fœmina; sub quo genere Susanna quoque comprehenditur . Dicit , Sotum non ita forte scripturum fuisse , si divina verba , quibus factum Susannæ narratur , præ oculis habuisset . Primum mihi difficile est , ea verba latuisse doctissimum Soto : certè verba Deuteronomii ad hanc rem pertinentia non latuerunt . Deinde quid scripturus fuisset in ea hypothesi Sotus , soli Deo est notum . Postremo nos non quærimus , quid tunc scripsisset ; sed attendimus quid absolutè nunc scripserit . Dicit , Sotum obiter rem versare . Esto . Sed tamen obiter rem versando manifestissimè aperit mentem suam . Dicit , Sotum de metu MORTIS loqui , INFAMIÆ non meminisse . Primum Soto loquitur de morte , quando docet , quid pudicæ puellæ ferendum sit potius , quàm in stuprum CONSENTIAT : quando vero loquitur de metu , loquitur indefinitè , SI METU TACET , & neque addit MORTIS , neque INFAMIÆ. Deinde Cornelius loquitur de metu simul infamiæ , & mortis , IN TANTO PERICULO , inquit , INFAMIÆ , ET MORTIS ; non de alterutro vel INFAMIÆ , VEL MORTIS; quare nequit inferri , sufficere Cornelio solum timorem infamiæ . Dicit tandem , Sotum concludere , ingenuam feminam debere pro viribus resistere . Hoc item ve-

verum est. Sed Tò DEBERE non significat obligationem sub gravi; aliter Soto, qui eam paulò antè negaverat, sibi statim contradiceret: sed significat decentiam, & consilium. Et sensus est, Honestæ, & ingenuæ puellæ non id solum præstandum esse, ad quod gravi obligatione tenetur; verùm illud etiam totum, quod in sua est potestate.

Post Cornelium a Lapide eamdem sententiam docuit insignis alter Dominicanus, & acerrimus Antiprobabilista Gonetus, de act. hum. disp.1. num.39. his verbis.

Sed quæres, quænam media externa teneatur apponere Virgo ad resistendum oppressioni; ut inde dignosci possit, quandonam oppressio sit ipsi voluntaria interpretativè, & indirectè, si talia media non adhibeat? Respondeo cum distinctione; si enim Virgo non timeat in se periculum consentiendi, & aliunde grave damnum vitæ, VEL HONORIS (en metus INFAMIÆ) *metuit* SI CLAMET, *vel aggressorem occidere tentet*; NON TENETUR CLAMARE, *vel aggressorem interficere; quamvis licitè utrumque possit, eo quod id præstet in sui defensionem; quia tunc resistere aggressori est præceptum affirmativum, quod non obligat pro semper*, NEC CUM TANTO PERICULO.

Monet quidem postea Gonetus, CONSULENDUM ESSE virginibus, ut omnibus modis tunc resistant; quia raro contingit, ut non detur periculum consensus. Sed SI NON DETUR, in qua solum suppositione loquitur Cornelius, & alii, apertè docet, fœminam NON TENERI CLAMARE, si ex clamore timeat grave damnum vitæ, VEL HONORIS.

His positis, cur non dixit P. Concina, præfatæ opinioni conciliasse auctoritatem duos illos insignes Dominicanos; præsertim cum Cornelius a Lapide illam doceat fretus auctoritate Soti, quem ibi citat? Cur dixit nominatim, laudatam sententiam CORNELII A LAPIDE, & non potius SOTI, ET GONETI, falsam, improbabilem

lem, & LAXAM esse, atque cum sacra Scriptura manifestè PUGNANTEM? Cur in Catalogo propositionum damnabilium apposuit illi doctrinæ solum nomen Cornelii, SOTUM VERO, ET GONETUM omnino siluit? Cur in indice nomen Cornelii lego, nomen Soti, & Goneti non lego?

Hoc est unum, & quidem frequentissimum, ex multis artificiis, ob quæ de P. Concina jure querimur. Plurimas sententias, quas ipse censuris, notis, conviciis dehonestat, æquè docuerunt Jesuitæ, & Dominicani: immo a Dominicanis Magistris Jesuitæ discipuli didicerunt. Nihilominus, ut plurimum, in solos Jesuitas nominatim invehitur, in eos solos declamat, eos solos objectat Lectorum oculis; atque, ut ita dicam, ad excipienda omnia tela primis in ordinibus locat: suos vel nullo modo producit in aciem, vel post terga Jesuitarum protegit. Quod & aliquando advertimus, & advertere in posterum non omittemus.

At inquit P. Concina tum hoc in loco, quem versamus, tum alibi in hac sua Theologia; Viva, La-Croix, Tamburinus, & alii teruntur omnium manibus; ceteri verò latent in bibliothecarum angulis, & nullis, vel paucissimis noti sunt. De hac excusatione, quam P. Concina, ut videbimus infra, mutuatus est a Wendrochio, sermo recurret. In præsentia hoc tantum quæro: Numquid tam multi, ac tam ingentes Tomi Cornelii a Lapide teruntur omnium manibus? Numquid Parochi, Confessarii, Casuistæ volutant Cornelium a Lapide, ut vel discant vel doceant Theologiam moralem? Quis unquam aperuit Cornelium a Lapide, ut casum aliquem conscientiæ solveret. Quis unquam illum consulit, ut moralibus difficultatibus, & quæstionibus responderet? Lectores judicent.

Fateor, cum primùm præfatam Cornelii a Lapide doctrinam damnationi propositam, & consuetis conviciis exagitatam legi: laborem improbum Patris Concinæ tacitus

citus admirabar; qui octodecim Tomos Cornelii volutasset; ut inde etiam contra Jesuitarum moralem aliquid expiscaretur. Sed omnis brevi admiratio cessavit: sumpto enim in manus Henrico a S. Ignatio, in ejus Catalogo eam reperi numero III.

CAPUT XLIV.

Restituitur sua integritati sententia P. Layman.

P. Concina Tom.4. pag.527. in Catalogo propositionum damnabilium.

Si aliquem, qui injustum damnum inferre decreverat, consilio, vel hortatu magis confirmasti; utrum ad restitutionem damnificato tenearis? Respondeo, probabiliter negari posse. P. Paulus Layman in Theol. moral. lib. 3. tract.2. cap.5. num.5.

..*.*

SI P. Concina verba Laymani, quæ referre maximè interesat, non detruncasset; Laymani doctrinam in propositiones damnandas forte non conjecisset.

Omne consilium, atque omnis hortatus procul dubio addit confirmationem aliquam deliberanti. Sed inspiciendum est, utrum SINE TALI CONSILIO positum fuisset aliunde e.g. furtum, quo casu consilium non dicitur EFFICAX; an verò non fuisset positum, quo casu consilium dicitur EFFICAX. Liberare Consiliantem ab onere restitutionis, quando SINE SUO CONSILIO furtum non fuisset positum, doctrina est falsissima, & damnabilis. Liberare verò quando etiam SINE SUO CONSILIO fur-

furtum fuisset positum, doctrina est non tanta festinatione damnanda.

Jam verò detruncata sunt verba Laymani, quæ apertissimè ostendunt, ipsum liberare ab onere restitutionis consiliantem, non in quacumque hypothesi, sed in sola hypothesi, qua furtum etiam SINE SUO CONSILIO fuisset positum; ac proinde in hypothesi, qua consilium non fuerit CAUSA EFFICAX. Quod multo minus invidiosum est, nec parum immutat aspectum doctrinæ. En verba quæ statim subdit Laymanus recitatæ propositioni.

Quia non fuisti CAUSA EFFICAX, *ut damnum absolutè, & secundùm substantiam inferretur; quando alter* PER SE IPSUM SATIS INCITATUS ERAT AD INFERENDUM, UT ETIAM SINE SUASU TUO INTULISSET.

Hanc autem Laymani doctrinam, ut ab ipso traditur, si P. Concina vult reijcere inter propositiones damnandas; reijciat: per me licet, neque impedio. Noverit tamen prius quorum sit.

Est S. Thomæ 2. 2. quæst.72. a. 7. ubi sic. *In aliis autem casibus enumeratis NON SEMPER OBLIGATUR aliquis ad restituendum*; NEC ENIM SEMPER CONSILIUM, VEL ADULATIO, VEL ALIQUID HUJUSMODI EST CAUSA EFFICAX RAPINÆ.

Et in 4. dist. 15. a. 5. quæst.3. ubi etiam explicat, ut Layman, quid sit CAUSA EFFICAX; & sic habet. *Non obligatur semper quis ad restitutionem, nisi in certis casibus, quando probabiliter credit, quod consilium suum fuit efficax, & quod* ALIAS INJUSTA ABLATIO COMMISSA NON FUISSET.

Ergo a contrario sensu, QUANDO ALIAS INJUSTA ABLATIO COMMISSA FUISSET, in qua sola suppositione expresse loquitur Layman, non obligabitur ille consilians ad restitutionem.

Est S. Antonini Part.2. tit. 1. cap.12. §. 12. ubi sic:
Si

Si autem ETIAM SINE OPERE ISTORUM *scilicet* CONSILIO, MANDATO, ET HUJUSMODI, FUISSET NIHILOMINUS FACTA RAPINA; *& nihil plus per quodcumque opus illorum additum est*; NON TENENTUR, *nisi quantum de rapina pervenisset ad eos*.

Hæc noverit P. Concina, tum faciat, quod libuerit. Videant tamen Lectores quanti intersit referre INTEGRE' textus Auctorum.

CAPUT XLV.

Vindicatur ab impostura P. Tamburinus.

P. CONCINA Tom. 4. pag. 698. postquam appellavit NIMIUM LAXAM opinionem Tamburini, de qua statim; ita pergit.

Nec reponas gaudium defendi ut licitum in hypothesi QUOD OMISSIO PRÆCEPTI SIT OMNINO INNOCENS; *secus si revocetur in dubium malitia omissionis. Non, inquam, hoc reponere vales. Quoniam P. Tamburinus* NON DEFENDIT *licitum esse gaudium de neglecto officio*, IN HYPOTHESI, QUA SACERDOS INCULPATE OMNINO OMISISSET OFFICIUM. SED DEFENDIT, *sacerdotem reapse gaudentem de neglecto officio, quod quidem* SE INCULPATE OMISISSE CREDIT.

:[o]:[o]:[o]:

EGo nescio in quonam Tamburino P. Concina legat Tamburinum. Certissimè verus Tamburinus defendit, quod P. Concina negat ipsum defendere: & non defendit, quòd ipsum defendere P. Concina affirmat. De-

fendit enim gaudium de OMISSIONE OFFICII OMNINO INNOCENTE & INCULPATA; & nihil habet de OMISSIONE OFFICII, quæ innocens & inculpata CREDATUR. En ejus verba lib.10. in Decal. cap.5. §.1. n.2.

Gaudebat quidam Sacerdos, se per INCULPABILEM OBLIVIONEM *matutinum diei hesternæ non recitasse* (Ubi hic est per OBLIVIONEM, QUAM CREDEBAT INCULPABILEM; QUÆ IN DUBIUM REVOCARETUR, UTRUM FUISSET INCULPABILIS?) *& reprehendebatur ab alio nimis religioso Sacerdote. Huic dixi, potuisse illum gaudere de carentia illa laboris, quæ tunc* NULLO MODO PECCAMINOSA FUIT (Non dicit, QUÆ PECCAMINOSA NON FUISSE CREDEBATUR; DE QUA DUBIUM ERAT, UTRUM FUERIT PECCAMINOSA) *atque adeo tale gaudii objectum erat* AB OMNI MALITIA *separatum.*

In qua ergo hypothesi defendit gaudium illud Tamburinus? In hypothesi ne, qua omissio CREDATUR, & quidem sub dubio, innocens, ut affirmat P. Concina: An in hypothesi, qua omissio FUERIT inculpabilis, NULLO MODO peccaminosa, & ab OMNI MALITIA separata; ut P. Concina negat? Propulset aliquanto longiùs rancidulam cautionem.

Præter manifestissimam imposturam, duo breviter advertenda sunt. I. Tamburinus assignando obiectum gaudii, quod defendit, non assignat OMISSIONEM OFFICII; SED CARENTIAM LABORIS, quæ locutio, & mitior est, & cautior. II. Tamburinus non adhibet illam vocem NEGLECTO, quæ præsefert semper aliquam culpam; sed ea vox intruditur de suo a P. Concina, qui hoc etiam artificio non raro utitur; ut in referendis sententiis Jesuitarum seligat terminos invidiosiores.

Antequam ab hoc quarto Tomo discedo, prætetire hoc minimè valeo. P. Concina pag.700. de eodem Tamburino ita scribit. *Quæ ibidem num.2. adjicit, sunt* PONDERATIONE *digna. Inquit enim, non licere tibi soluto de-*

delectari de copula maritali inter coniuges habita . . . . . Fateor tamen posse te . . . . gaudere, vel desiderare, UT LEGITIMI CONIUGES DEBITUM SIBI REDDANT.

In primis Tamburinus addit hoc, quod omittitur a P. Concina. *Hoc non est de copula delectationem sumere; sed copulam legitimam approbare.* Deinde quid hic, rogo, carpendum est? Numquid erit peccatum, GAUDERE, VEL DESIDERARE, ut impleatur illud grave praeceptum Apostoli 1. ad Corinth. 7. = Uxori vir debitum reddat, similiter autem & uxor viro =? Ego non aliud video PONDERATIONE dignum, nisi impotens desiderium dehonestandi ubique Tamburinum.

CAPUT XLVI.

Restituitur sua sinceritati sententia Baunii.

P. Concina Tom. 5. pag. 77.

An satisfaciat praecepto audiendi Missam, qui duas medietates Missae SIMUL *eodem tempore audiat; puta medietatem unius Sacerdotis usque ad consecrationem, & alteram medietatem alterius Sacerdotis celebrantis a consecratione usque ad finem? Respondeo.* ADFIRMANT *Diana*, BAUNY.....



Hic videbitis, lectores, aliud novum ADFIRMANDI genus. Baunius Tract. 6. de sacrificio Missae, quaest. 9. prius refert auctores NEGANTES satisfieri per illam SIMULTANEAM auditionem. Deinde refert auctores ADFIRMANTES. Tum sic exponit opinionem suam.

Hæc secunda sententia (ADFIRMANS) *quamquam probabilis, tamen* IN PRAXI NON EST SEQUENDA, SED PRIOR.

Baunius expressissimè docet, sententiam ADFIRMANTEM non esse in praxi sequendam, sed sequendam esse NEGANTEM. Et P. Concina sine ullo additamento pronunciat, Baunium ADFIRMARE.

Neque forte hic dicat P. Concina, Baunium reputare probabilem illam sententiam; atque ideo ex vi probabilismi posse illam deduci in praxim. Hoc, inquam, non dicat.

Primo: quia Baunius non reputat illam probabilem PRACTICE; aliter non diceret, NON ESSE SEQUENDAM IN PRAXI. Porro, ut ex vi probabilismi aliquid deducatur ad praxim, non sufficit illud esse utcumque probabile. Sed debet esse probabile PRACTICE.

Secundo, quia, hoc omisso, stat semper, sententiam Baunii non esse sincerè & bona fide relatam. Qui enim dicit, auctorem aliquem AFFIRMARE, significat, auctorem illum adhærere sententiæ affirmanti, illam defendere ut suam, illam præponere sententiæ neganti, illam reputare vel unicè veram, vel saltem sententia negante probabiliorem. Hoc significat apud omnes lectores, ADFIRMAT BAUNII. Et tamen Baunius nihil horum facit, sed omnia contra. Quamobrem hoc sibi persuadeat P. Concina, nondum satis propulsatam esse rancidulam cantionem.

CA-

CAPUT XLVII.

Restituitur sua sinceritati sententia Patris Gobat.

P. CONCINA Tom.5. pag.85.

Quid dicendum de EO, *qui templum ingreditur ad audiendam Missam, quam post quadrantem inchoandam putat. Interim* EO NON ADVERTENTE *Missa* IN ALIQUO ALTARI *legitur usque* AD SANCTUS, *& tum ex* CAMPANULÆ SONITU *missam recitari cognoscit? Respondeo.* GOBAT *tract.5. num.115.* (scribi debuit 215.) *dicit. Si habuerit hanc intentionem,* Volo me esse unum de numero audientium Missam quandocumque inchoabitur, *eum* AUDIVISSE *etiam primam partem,* QUAM REIPSA NON AUDIVIT. *Secus si præfatam intentionem non habuerit. Hæc retuli, non ut refutem (quoniam nullo impugnante corruunt) sed ut identidem palam fiat, quousque progrediatur benigna quorumdam Theologia. Relatam enim opinionem prorsus improbabilem reputo. Quia si* SOLA INTENTIO *assistendi Missæ moraliter præsentem constitueret volentem audire Missam; posset hac ratione quis domi suæ sedens Missæ præceptum implere.*

(o)*.*.*.*.(o)

NOn poterat coloribus magis adulterinis depingi sententia Patris Gobat.

Gobat non loquitur de EO, idest de quocumque ingrediente templum ad audiendam Missam; quod esse animadversione dignissimum, patebit statim. Non loquitur de QUACUMQUE INADVERTENTIA (immo neque uti-

utitur hac voce) ad missam inchoatam; e. g. de inadvertentia orta a confabulatione cum aliis, ab evagatione mentis ad alia negotia, a distantia & situ altaris, & similibus. Non loquitur utcumque DE ALIQUO ALTARI, e. g. distanti, retruso, & cui talis homo sufficienter non assistat. Ne verbum quidem habet de SONITU CAMPANULÆ AD SANCTUS. Multo minus loquitur de eo, qui primam partem missæ, ut ait P. Concina, RE IPSA NON AUDIVIT. Nec demum ita insanit, ut putet, SOLAM INTENTIONEM audiendi missam sufficere ad præsentiam moralem necessariam ad implendum præceptum: quod, non Theologo benigno, sed soli stulto venire in mentem potest. Sed loquitur de casu diversissimo, quem certissimè lectores ex verbis P. Concinæ numquam divinarent.

Itaque loquitur de COECO, qui ductus ad templum ad audiendam missam putat, illam inchoandam esse post dimidium horæ. Interim cum non possit cognoscere, sive ADVERTERE OB COECITATEM quando missa inchoetur; ibi AVIDE ILLAM EXPECTANS concipit hanc intentionem conditionatam. „ Domine si missa „ inchoetur jam nunc, quod ego scire non possum, quia „ coecus sum, intendo illam audire simul cum aliis AD- „ STANTIBUS MISSÆ „ Missa reipsa inchoatur, & finitur; atque in hac tota hypothesi quæritur, utrum COECUS ille, quamquam OB COECITATEM missam recitari ignoraverit, nihilominus præcepto satisfecerit? Et huic quæstioni, & non alteri Gobat respondet, COECUM illum satisfecisse, quia ignorantia orta a coecitate non impedit, quominus intentio illa conditionata transeat in absolutam. En ejus verba loco citato.

Quæres an si COECUS *deductus in sacram ædem ad sacrum audiendum putet illud inchoatum iri primùm post dimidiam horam; incipiat autem mox post ingressum ejus* IGNORANTIS *penitus quid agatur. Quæres, inquam, an* EXPECTANDO INTEREA AVIDE MISSAM, *audiat*

diat nihilominus moraliter illam? Resp. Vel habet hanc intentionem „ si forte fiat citiùs sacrum, quàm putem, volo esse unus de numero laicorum SACRO ADSTANTIUM, *seu ei interesse quantum in me est „ Vel non habet ullam talem intentionem: si nullam; tenebitur audire aliud; nec enim censeris moraliter interesse actioni, & quam ignoras exerceri, & cui non cupis interesse. Si habet, nil officit ignorantia; nam haud impedit, quominus hypothetica voluntas transeat in absolutam.*

Doceat hìc P. Concina, ubi Gobat loquatur de eo, qui PRIMAM PARTEM MISSAE RE IPSA NON AUDIVIT. Doceat, ubi distinguat Gobat duas partes Missæ, alteram ab initio usque ad SANCTUS, alteram a SANCTUS usque ad finem. Doceat, ubi Gobat loquatur de homine, qui a SONITU CAMPANULÆ AD SANCTUS cognoscat recitari missam; quod verum esse posset etiam in illo, qui consabulans cum amicis apud Confessionem S. Petri, vel apud Cathedram, audiret pulsari campanulam ad SANCTUS in altari ultimo januæ proximo. Doceat, ubi Gobat tradat ineptissimam hanc sententiam; SOLAM nempe INTENTIONEM audiendi missam sufficere ad satisfaciendum præcepto. Numquid supponit P. Gobat, coecum illum, præter memoratam intentionem, non præstare sufficientem præsentiam materialem; & non esse in vicinia, & situ apto ad implendam obligationem audiendi sacrum? Certissimè ex nullo verbo Gobati elicietur hæc suppositio: immo elicitur opposita ex iis verbis IBI AVIDE EXPECTANDO; & ex illa intentione VOLO AUDIRE MISSAM SI INCIPIAT NUNC. Neque enim Coecus ibi avidè expectaret, aut ita diceret, nisi in vicinia & situ apto ad missam audiendam.

Paucis. Gobat loquitur de COECO IGNORANTE recitari Missam, non OB DISTANTIAM, NON OB SITUM INEPTUM, NON OB EVAGATIONEM AD ALIA; sed unicè OB COECITATEM. Et P. Concina

ita

ita pingit rem, tamquam si Gobat loqueretur de VIDENTE, qui non advertat ad primam partem Missæ, & REIPSA ILLAM NON AUDIAT, ob aliquam ex enumeratis causis: & admonitus A SONITU CAMPANULÆ AD SANCTUS currat ad audiendam secundam partem. Utrum hoc sit sincerè referre sententias, Lectores judicent.

CAPUT XLVIII.

Restituitur sua integritati sententia Vivæ.

P. Concina Tom.5. pag.154. in Catalogo propositionum damnabilium.

Si probabiliter vel certo moraliter sciant tabernarii, quòd hospites peccent coenando; DD. Navarrus, Toletus, &c. permittunt quod illis coena ministretur.... Quia ministratio illa, immo & ultronea invitatio non fit directè ad non jejunandum, sed solùm ex intentione lucri invitantur ad coenam. P. Dominicus Viva in cursu Theologico-morali Tomo 1. p.2. quæst.10. a.4. n.7.



TRuncatè refertur de more sententia P. Vivæ: & ea resecantur, quæ magnopere intererat non resecari; quia multùm temperant eam opinionem, ut jam ostendam. Textus integer P. Vivæ iste est.

Si verò probabiliter vel certo moraliter sciant tabernarii, quod hospites peccent coenando, Navarrus, Toletus, Medina, & alii apud Dianam p.1. Tract.9. Resol.39. permittunt quòd illi coena ministretur. Quòd etiam docet

San-

Sanchez lib.1. cap.7. Ratio est, quia ministratio illa, immo & ultronea invitatio non fit directè ad non jejunandum; sed solùm ex intentione lucri invitantur ad cœnam VELUTI CONDITIONATE, HOC EST, SI VELITIS COENARE, COENATE POTIUS APUD ME, QUAM DIVERTATIS AD ALIUM.

Hæc postrema verba majusculis caracteribus signata, omnia a P. Concina resecta sunt. Porro quantum illa temperent opinionem, nemo non videt. Ostendunt enim, P. Vivam non loqui promiscuè & indefinitè de quibuscumque hospitibus; sed definitè de iis, qui jam coenare vel apud hunc tabernarium, vel apud alium constituerunt. Jam verò valde diversum est, ut per se patet, invitare ad coenam promiscuè omnes hospites, qui prævidentur peccaturi coenando, & invitare hospitem jam peccare & coenare certum, ut, siquidem coenare jam absolutè constituit & vult, det potiùs lucrum mihi, quàm alteri tabernario; in hac enim secunda hypothesi, etsi ego non procurarem mihi illud lucrum, adhuc peccatum hospitis non impediretur. Quamobrem opinio, docens licere hoc secundum, est, non dico vera, ne forte hoc mihi imponat P. Concina; sed multo temperatior, & mitior opinione docente licere primum. P. Viva in suo textu INTEGRO docet opinionem temperatiorem. In textu MUTILATO a P. Conciua, apparet docere aliam magis intemperantem.

Sed ut semper clariùs palam fiat, quòd aliàs dixi, Patrem Concinam vocare in invidiam nominatim solos Jesuitas: suos verò aut occultare, aut post terga Jesuitarum protegere; proferre placet duos insignes Dominicanos, qui eamdem cum Viva sententiam docent.

Cajetanus 2. 2. quæst.147. artic.4. in fine hæc habet: *Si autem omnino coenaturi sunt; & ego invito eos ad mecum coenandum, non invito eos nisi ad locum & societatem coenæ, vel ministro illis cibos. Ex nullo autem horum apparet peccatum aliquod; & propterea excusantur:*

 sicut

ſicut etiam hoſpites coenaturos invitant, ut in ſuo hoſpitio magis quàm in alio coenent.

Petrus de Ledeſma Tomo 2. Summæ de jejunio cap.2. non procul a fine, hæc habet. *Dico 2. Invitare aliquem, qui jam aliàs paratus eſt coenare, cauſa urbanitatis vel hoſpitalitatis, ad coenam, non eſt peccatum mortale. Quia tunc ipſe invitans non cooperatur peccato alterius.*

P. Concina opinionem Patris Vivæ recenſuit inter damnandas, Cajetani, & Ledeſmæ non meminit. Jactet minus ſuam vacuitatem a ſtudio partium; & tum ipſe tum alii ſibi perſuadeant, me quoque poſſe, ſi velim, catalogos & indices pertexere non breviores.

CAPUT XLIX.

Reſtituitur ſuæ integritati ſententia Laymani.

P. Concina Tom.5. pag.161.

Catholici, qui famulantur hæreticis, carnibus veſci minimè poſſunt, SECLUSO GRAVI DAMNO, AUT PERICULO; *quidquid* IN CONTRARIUM DICAT LAYMAN *lib.4. Tract.8. cap.3. num.3., quoniam* CUM ALII CIBI SUPPETANT, & PERICULUM DAMNI ABSIT, *nulla aſſignari poteſt vera cauſa excuſans.*



SI P. Layman attentè legatur, & fideliter referatur, non modo NIHIL PRORSUS DICIT IN CONTRARIUM; ſed, quod majus eſt, mirificè conſentit cum P. Concina in ſubſtantia, ut ita dicam, doctrinæ. En ejus verba loco citato. *Ad-*

Addo primo; laborantibus & famulantibus catholicis apud nos in OPPIDIS HÆRETICORUM *permitti posse, ut diebus jejuniorum carnibus vescantur.* DUMMODO SCANDALUM TOLLI POSSIT; *si nimirum dicant, se* TALI CASU NECESSITATIS *Ecclesiæ præcepto non obligari.*

Dignetur me docere P. Concina, UNDENAM repeti possit ILLA NECESSITAS, quam ii catholici famulantes afferre debent, ut hæreticis persuadeant, se tunc non obligari præcepto Ecclesiæ, quemadmodum requirit Layman; UNDENAM, inquam, repeti possit, nisi ex eo, quòd NON SUPPETANT ALII CIBI, vel quod ADSIT PERICULUM ALICUJUS DAMNI, quæ per ipsum sunt causæ excusantes? Dignetur docere, qua alia ratione possint catholici illi, ut vult Layman, SCANDALUM TOLLERE; nisi clarè ostendendo iis Hereticis DEFECTUM CIBORUM ESURIALIUM; qui probabilissimè in OPPIDIS & Domibus Hæreticorum jejunii tempore non reperiuntur; VEL GRAVE ALIQUOD DAMNUM IMMINENS? Quòd si hæc docere non potest, cur imponit Laymano, QUOD DICAT IN CONTRARIUM?

CAPUT L.

Vindicatur ab impostura Pater Viva.

P. Concina Tom. 5. pag. 202.

Non minus improbabile nobis videtur, quòd scribit P. Viva Tom. 1 parte 2. quæst. 10. art. 1. num. 7. pagina mibi 108. „ Utrum autem peccet venialiter, qui bibit aut comedit SOLUM OB DELECTATIONEM? Joannes Sanchez apud Dianam parte 3. tract. 5. Resolut. 6. Martinus Perez, Escobar, & alii negant, si non noceat

 sa-

ſaluti; ſicut non peccat, qni videt res pulchras, aut olfacit odores ſolùm propter delectationem. Neque id damnatur ab Innoc XI. Nam propoſitio damnata dicit, *comedere & bibere AD SATIETATEM ob ſolam voluptatem non eſt peccatum, modò non obſit valetudini, quia licitè poteſt appetitus ſuis actibus frui*. Quando enim ad ſatietatem quis comedit aut bibit ob meram voluptatem facile limites temperantiæ debitæ prætergreditur; & ideò venialiter peccat, quòd non accidit neque ſi comedat aliquid, aut bibat propter voluptatem, non tamen ad ſatietatem cum periculo intemperantiæ. „ *Siccine ergo decreta pontificia eluduntur? Quod itaque homo Chriſtianus comedat* ob SOLAM VOLUPTATEM NULLUM PECCATUM COMMITTIT? *Tumne ſolum peccat, quando ob ſolam voluptatem comedit uſque ad ſatietatem cum periculo intemperantiæ?*

Et in indice appellando hanc ipſam paginam 202. ita ſcribitur.

Viva (*P. Dominicus*) LAXE *docet*, LICERE *in die jejunii bibere vinum, muſtum, cereviſiam &c.* ETIAM OB SOLAM DELECTATIONEM.



QUis ſibi non perſuadeat, dum legit ſuperiora verba Patris Vivæ a Patre Concina recitata; dum legit accenſam illam declamationem; dum legit indicem; quis inquam, ſibi non perſuadeat, Patrem Vivam, qui ſolus ex citatis auctoribus ſcripſit poſt Innoc. XI., pontificia decreta eludere; in propria perſona omnia recitata ſcribere; ſententiam Sancii, Eſcobarii, Perezii amplecti; & denique docere, NULLUM ESSE PECCATUM COMEDERE OB SOLAM VOLUPTATEM?

Atqui ſciant lectores, Patrem Vivam ex propria ſententia propugnare opinionem omnino oppoſitam; tueri,

ES-

ESSE PECCATUM VENIALE COMEDERE OB SOLAM VOLUPTATEM; & Patrem Concina recitatis solùm verbis, quibus Viva refert alienam doctrinam, OCCULTASSE, & DETRUNCASSE ILLA, quibus Viva aperit propriam mentem, & docet, ac stabilit propriam opinionem. En igitur, æquissimi lectores, quid subdat Viva.

Cæterum quòd NEC ALIQUA VENIALI CULPA VACET *comedere & bibere* ETIAM MODERATE OB MERAM VOLUPTATEM PROBABILIUS *docent quamplures, quos retulimus in Trutina, exponendo præfatam thesim, ex D. Thoma 4. contra gentes cap.87. Invertetur quippe naturæ ordo si in his actionibus* VOLUPTAS TAMQUAM FINIS *amaretur; ubi ea ex institutione naturæ ad vitæ sustentationem ordinantur.*

Et in Trutina in eo loco ad quem hic se remittit, ita habet num.6.

Utrum autem non solùm sit ILLICITUM *comedere, & bibere* AD SATIETATEM, *sed etiam* MODERATE COMEDERE OB SOLAM DELECTATIONEM, *quamvis in proscripta thesi* ID NON EXPRIMATUR; *dicendum tamen juxta communem Doctorum sensum contra nonnullos relatos a Moya Tom.1. tract.6. disp. 2. quæst. 3. quibus ipse subscribit,* NEQUE ID LICERE.

Advertatur hoc diligenter, ut præcludatur aditus diverticulis; Non instituo ullam quæstionem de aliis, quæ dicit Viva; nihil probo, nihil improbo, quia ad præsens institutum hoc non pertinet. Hoc dico; repræsentare P. Vivam tamquam docentem, NULLUM ESSE PECCATUM, LICERE COMEDERE OB SOLAM VOLUPTATEM; ut repræsentat P. Concina, ejusque index; esse manifestissimam imposturam; ut ex adductis P. Vivæ verbis ad evidentiam patet.

CAPUT LI.

Restituitur suæ sinceritati sententia Filliuccii.

P. Concina Tom. 5. pag. 310.

Quid si (qui dormire nequeunt nisi sumant cœnam) *collatione mane sumpta, & prandio in vesperum dilato jejunare possent; tenerentur ne id præstare, ut præceptum observarent?* NEGANT *plures recentiores Escobarius, Diana,* FILLIUCCIUS........ *Sed talem opinionem inter* LAXAS *recensuimus cap. primo. Nunc verò istorum Auctorum rationem expendentes,* LAXISSIMAM *eam appellamus.*

Et pag. 149. conjecerat illam inter damnabiles, attexendo ante alios omnes Auctores nomen FILLIUCCII, his verbis.

Dormire quis nequit nisi sumpta vespere cœna. Tenetur ne jejunare? MINIME'. *Si sufficit mane collatiunculam sumere, & vespere cœnare; tenetur ne ad id?* NON TENETUR. *Quia nemo tenetur pervertere ordinem refectionis. Ita* FILLIUCCIUS, *Teobar, Leander.*

§:(o):(o):(o):(o):§

COLLIGAT P. Concina NECESSITATEM LEGENDI AUCTORES IN FONTE. Filliuccius neque in tota sua tractatione de Jejunio, neque uspiam alibi, (vel doceatur Ubi) non dico, resolvit; sed ne nominat quidem, quæstionem, quam proponit P. Concina. Nimirum, Utrum illi, qui jejunare possent sumpta mane collatiuncula, & prandio in vesperum dilato, tenentur

antur id præstare, ut præceptum observent? Et multo minus Filliuccius docet, ejusmodi homines AD ID NON TENERI. Sed agit quæstionem diversissimam; & excusat, saltem a peccato mortali, non eos, qui nolint pervertere ordinem refectionis, nam de hac re nihil habet, sed eos solum, qui BONA FIDE excedunt in refectiuncula, putantes id sibi licere vel ob debilitatem, vel OB CAPIENDUM SOMNUM. En ejus verba Tom.2. tract. 27. Part.2. cap.6. num.130.

Qui BONA FIDE CREDIT, *se habere justam causam non jejunandi, & propterea non jejunat; is non peccat saltem mortaliter. Paludanus dist.15. quæst.4. num.1. Antoninus Part.2. tit.7. cap.2. Sylvester V. Jejunium cap.21. Cajetanus cap.3. Navarrus num.20. Ideoque si causa non sit omnino sufficiens peccabit venialiter defectu debitæ diligentiæ inquirendi, an causa justa esset necne.* QUO PACTO *excusari possunt multi solventes jejunium*, VEL EXCEDENTES IN REFECTIUNCULA; *putant enim se non teneri ex variis causis, ut ob debilitatem, vel* AD CAPIENDUM SOMNUM.

Ubi hic est, Lectores æquissimi, quod Filliuccius instituat quæstionem, Utrum teneantur pervertere ordinem refectionis, qui collatione mane sumpta, & prandio in vesperum dilato jejunare possent? Ubi est, quod doceat, istos hunc ordinem pervertere non teneri? Exculpat P. Concina, si potest, ex adductis Filliuccii verbis opinionem, quam ipsi imponit; & quam adjecto ante alios omnes Filliuccii nomine inter damnandas recenset. Sed posse aliquem sine debita inquisitione infamare Auctores, & sub eorum nomine offerre damnationi sententias, quas nunquam somniarunt, erit forte opinio PROBABILIOR.

Quod si fortasse velit P. Concina insectari sententiam, quæ verè traditur a Filliuccio; insectetur; nihil ad me. Sciant solùm Lectores, Filliuccium eam exscripsisse a Cajetano Dominicano in summa V. *Jejunium* cap. 3., ubi eam docet his verbis. *Et*

Et ex hoc capite innumerabiles personæ timoratæ excusantur sæpissimè a transgressione præcepti de jejunio; dum vel ex multis reputatis secundum ipsos rationabilibus causis solverunt jejunium, AUT COLLATIONEM EXCESSIVAM *putarunt sibi licere absque solutione jejunii propter debilitatem*, AUT PROPTER SOMNUM HABENDUM.

CAPUT LII.

Restituitur suæ integritati alia sententia ejusdem Filliuccii.

P. Concina Tom.5. pag.321.

An DIVITES, qui exercent artes laboriosas, non ex indigentia, sed solùm majoris lucri acquirendi gratia, a jejunio excusentur? Excusari defendunt.... FILLIUCCIUS.... *aliique*.

..*.*.*

NOn una de causa querimur minus sincerè repræsentari hic sententiam Filliuccii. Nam & aliquid additur, quod auget Filliuccio invidiam; & occultantur duæ limitationes a Filliuccio appositæ, quæ multum temperant, immo immutant ejus opinionem; ac proinde invidiam multùm imminuerent, si bona fide legentibus proderentur. Verba Filliuccii hæc sunt. Tom. 2. tract.27. part.2. cap.6. num.120.

Octavo quæro; an qui ob lucrum non necessarium ad propriam sustentationem..... non jejunant, excusandi sint? Respondeo, & dico, SI LUCRUM NOTABILE *sit, ejusque* OCCASIO NON SEMPER DETUR; *excusare potest.* Pri-

Primùm Filliuccius non nominat DIVITES, quæ vox in re præsenti, de qua tractamus, est multo magis invidiosa. Loquitur quidem de lucro NON NECESSARIO AD PROPRIAM SUSTENTATIONEM. Sed fieri potest, ut quis non indigeat hic & nunc hoc lucro ad propriam sustentationem, quin tamen sit DIVES; sed sit aliquis artifex, qui laboribus, & sudoribus suis vitam toleret, & habeat nihilominus quantum satis est ad semetipsum sustentandum hac die, vel hac hebdomada.

Deinde Filliuccius non loquitur indefinitè de QUOCUMQUE MAJORI LUCRO, ut præseferunt verba, quibus P. Concina quæstionem exponit. Sed apponit hanc primam limitationem, ut lucrum majus SIT NOTABILE.

Demum non loquitur de QUACUMQUE OCCASIONE majoris lucri acquirendi: sed de OCCASIONE EXTRAORDINARIA rarò occurrente; & quæ, si permittatur elabi, non ita facile reditura sit. Ut esset e.g. Si quis Princeps Roma transiens, & brevi discessurus, imperaret artifici, habenti cœteroquin quantum satis est hic & nunc ad propriam sustentationem, opus aliquod elegans magni pretii, quod, eo Principe Roma regresso, a nemine forte amplius imperabitur.

Quantum hæc omnia temperent, & immutent opinionem Filliuccii nemo non videt. Et tamen nihil horum Lectores ex verbis P. Concinæ perspexissent; nisi a me Filliuccii verba in medium prolata essent. An hoc sit referre INTEGRE', & SINCERE' sententias Jesuitarum, ipsis judicandum relinquo.

CAPUT LIII.

Refellitur impostura impacta in indice P. Sanchez.

In Indice Tomi 5. V. *Sanchez*.

Sanchez (P. Thomas) LAXAM *propositionem docet de jejunio Pag.154.* LAXE' *eximit a jejunio etiam diebus, quibus non concionantur, ter, vel quater concionantes in hebdomada. Pag.328.*

..*.*.*

HIc P. Sanchez repræsentatur legentibus indicem tamquam auctor duplicis diversæ LAXITATIS; quarum una referatur a P. Concina sua pag.154. & altera ab eodem referatur sua pag.328. Atqui sciant Lectores, in utraque pagina sermonem esse de una, eademque opinione Patris Sanchez, quam P. Concina pag.154. recensuit inter damnabiles; & deinde refricat, atque impugnare conatur pag.328.

Placet verò hic referre suis verbis sententiam P. Sanchez; ut ea collata, si velint, cum locis Concinianis, Lectores judicium ferant, quod libuerit. Ita igitur habet lib.5. consil. cap.1. dub 13. num.6.

Tertio nota, quod quando ex hujusmodi operibus contrahatur TANTUS LABOR, UT NON SECUM COMPATIATUR JEJUNIUM, *relinquendum est* ARBITRIO BONI VIRI; (non dicit ipsius concionatoris) *qui debet judicare habita ratione non tantum roboris secundum se; sed etiam* QUALITATIS, ET COMPLEXIONIS PERSONÆ *in particulari*, ET MODI CONCIONANDI. *Hinc concionatores, qui in Quadragesima con-*

concionantur ter vel quater in hebdomada, COMMUNITER, ET REGULARITER EXCUSANTUR; *itaut in nullo die Quadragesimæ teneantur jejunare; & hoc maxime* SI CUM FERVORE *concionentur..... Ratio, quia hoc videtur requisitum ad robur necessarium* AD BENE, ET FRUCTUOSE' *concionandum: quia, ut viri docti dicunt, qui debet officium exercere, non tantùm attendere debet, an possit in hac Quadragesima*, VEL IN HOC DIE *simul jejunare, & prædicare. Sed etiam ut conserventur vires, ut possit* PLURES DIES, & *Quadragesimas prædicare.*

Hæc est sententia P. Sanchez; quam P. Concina, ut dicebam, recenset ut damnandam pag.154. quam acriter & irrisoriè impugnare conatur pag 328. & quæ ab indicum compositore repræsentatur ut duplex, & diversa. Placet ne, Lectores, hujusmodi festiva ratio amplificandi indices in damnum Jesuitarum.

CAPUT LIV.

Restituitur sua integritati sententia Filliuccii.

P. CONCINA Tom.5. pag. 367. loquens de Parochianis, qui propter gravem necessitatem non solverunt Parocho Decimas, ita scribit.

Cum tamen sors melior affulgeret, ad restituendas decimas tenerentur. Nec audiendus FILLIUCCIUS, *qui tract. 27. 2. p. cap.8. num.166. probabile esse judicat; ejusmodi Parochianos ad restitutionem* NON *teneri, etiam divites effectos. Siquidem communiter Theologi hoc reprobant. In sola enim extrema necessitate, quæ consumuntur, restitutioni non subjacent juxta communiorem Theologorum doctrinam.*



ILlud NON in Filliuccio non reperitur, sed additum est a P. Concina liberaliter de suo. En Filliuccii verba loco citato.

Licèt verisimile sit, eos, qui non habent necessaria ad congruam sustentationem, non obligari ad solvendas Decimas cum tanto rigore, ut ex antiquo Canonista moderatur hanc obligationem Suarez loco cit. num. 16. & 17.: tamen si postea ad pinguiorem fortunam venerit, PROBABILE EST TENERI AD EAS INTEGRAS RESTITUENDAS: *& interim necessitatem comprobet Ecclesiæ Pastoribus. In extrema tamen necessitate nec tenetur ad Decimas, nec ad restitutionem; ut neque is, qui in tali necessitate surripit alienum.*

At fortasse dicet P. Concina: Si Filliuccius dicit esse PROBABILE, TENERI, per bonam illationem judicat probabilem etiam partem oppositam, nempe NON TENERI. Sed non satis per hoc consultum est bonæ fidei, quam hic desideramus.

Primo: Quia verba P. Concinæ in sua naturali, & obvia significatione persuadent, Filliuccium apponere illud NON conceptissimè, & non per illationem; ut ex propria experientia testari possunt Lectores.

Secundo, quia nempe præfata illatio est universaliter bona. Fieri enim potest, ut sit probabilis una pars, quin sit probabilis altera opposita. Quia fieri potest, ut pro una parte militent bona argumenta; & pars opposita omni prorsus ratione destituatur. Ergo neque provocando ad vim illationis potest se satis tueri P. Concina ab impostura.

CA-

CAPUT LV.

Vindicatur ab iniusta criminatione P. Suarez.

P. CONCINA Tom. 5. pag. 405.

Franciscus Suarez Tomo 4. *in* 3. *p. disput.* 36. *n.* 3. (debebat scribere disput. 36., sect. prima num. 2.) *refert, quosdam Theologos docuisse hoc præceptum* (annuæ confessionis) *non per se, sed per accidens obligare, ratione nempe Eucharistiæ percipiendæ: & subdit, in hanc sententiam* IVISSE *S. Thomam in* 4. *dist.* 17. *quæst.* 3. *artic.* 1. *quæstiunc.* 4. *& D. Antoninum* 3. *p. tit.* 14. *cap.* 9. §. 3. *Mirum est, doctum & accuratum Theologum istius sententiæ patronos constituere Aquinatem & Antoninum; cum ipsi* IN LOCIS LAUDATIS *oppositum doceant........ Immerito itaque Suarez* IMPONIT *sanctis his doctoribus, quòd docuerint, præceptum annuæ confessionis solùm* PER ACCIDENS *obligare; cùm apertè oppositum doceant.*

Et in indice V. *Suarez* ita scribitur.

Suarez (P. *Franciscus*) IMPONIT *SS. Thomæ, & Antonino, dum ait, eos docuisse, præceptum annuæ confessionis obligare, non per se, sed per accidens, ratione scilicet communionis faciendæ. Pagina* 405. *n.* 3.



NOn Suarez SS. Thomæ & Antonino; sed P. Concina IMPONIT Suario. Afferamus prius verba Suarii loco citato, ubi sic.

Alii verò dicunt PER ACCIDENS *obligari hominem ad confessionem semel in anno faciendam* RATIONE COM-

COMMUNICATIONIS: *non tamen* PER SE, EX VI *proprii præcepti*. Ita INDICAT *D. Thomas dist.17. quæst. 3. artic.1. quæstiunc.4. & quodlibeto 1. artic.11. & D. Antoninus 3. p. Titulo 14. cap.19. §.3.*

Obiter adverto. P. Suarez non scribit, eos SS. Doctores IVISSE in illam sententiam; ut non satis sincerè refert P. Concina: sed illam in locis ab ipso Suario laudatis INDICASSE: quòd multo minus est, ut per se patet. Hoc dissimulato: Videamus, utrum S. Thomas, & S. Antoninus IN LOCIS LAUDATIS a Suario doceant oppositum, ut expresſè dicit P. Concina: an verò INDICENT illam sententiam, ut dicit Suarez: atque ita patebit, uter sit impostor.

Primus locus S. Thomæ laudatus a P. Suarez iste est. *Ad confessionem actualiter faciendam obligatur aliquis dupliciter*. UNO MODO PER ACCIDENS; *scilicet quando ad aliquid tenetur, quòd non potest sine peccato facere nisi confessus; tunc enim confiteri tenetur: sicuti si debet* EUCHARISTIAM PERCIPERE; *ad quam nullus post peccatum mortale nisi confessus accedere debet copia sacerdotis oblata, & necessitate non urgente*. ET INDE *venit obligatio, qua ecclesia omnes obligat ad* SEMEL IN ANNO CONFITENDUM: QUIA *instituit ut semel in anno, scilicet in pascha, omnes sacram communionem accipiant: &* IDEO *ante tempus illud confiteri tenentur*. ALIO MODO *obligatur aliquis ad confessionem* PER SE. *Et sic videtur eadem ratio esse de confessione, & de baptismo differendo; quia utrumque est Sacramentum necessitatis.*

Sistamus hic S. Thomas in hoc loco non assignat aliam rationem, cur Ecclesia præceperit ANNUAM confessionem, nisi QUIA præcepit annuam communionem: non assignat alium fontem, UNDE VENIAT obligatio annuæ confessionis, nisi præceptum sumendæ Eucharistiæ: Affert hujusmodi obligationem in exemplum obligationis PER ACCIDENS; dum actu immoratur in

ex-

explicatione obligationis PER ACCIDENS; & postquam transiit ad explicandam obligationem confessionis PER SE, numquam amplius nominat Confessionem ANNUAM, sed loquitur de aliis temporibus, & discurrit de Confessione in genere, sicuti de dilatione baptismi; & in hoc loco saltem non INDICAT, obligationem annuæ confessionis esse per accidens, non vero PER SE, sive esse solùm RATIONE PERCIPIENDÆ EUCHARISTIÆ? Provoco ad lectorum judicium.

Secundus locus laudatus iste est.

QUIA ex præcepto Ecclesiæ omnes fideles tenentur saltem semel in anno, in festo Paschæ præcipuè, sacramenti communionem accipere: IDEO *Ecclesia ordinavit, ut semel in anno, quando imminet tempus recipiendi Eucharistiam, omnes fideles confiteantur.*

Ubi item S. Thomas non assignat aliam rationem, cur fideles teneantur semel in anno confiteri, nisi quia debent semel in anno Eucharistiam accipere.

Locus laudatus S. Antonini iste est.

Alii dicunt communius, quòd cum sit præceptum affirmativum non obligat nisi pro loco & tempore. Ecclesia verò in hoc potuit determinare tempus, cùm sit præceptum disciplinæ, non naturæ: UNDE *regulariter non tenetur homo nisi semel in anno confiteri, scilicet in Pascha,* QUANDO NECESSE HABET *communicari.*

Et statim citat auctoritatem Sancti Thomæ, quam modo attulimus. Quamobrem cùm etiam S. Antoninus simul cùm D. Thoma non alium assignent titulum obligationis confitendi semel in anno, nisi RATIONEM SUMENDÆ EUCHARISTIÆ; profectò INDICANT laudatis in locis, obligationem ANNUÆ confessionis esse PER ACCIDENS, non PER SE.

At quomodo probat P Concina, SS. Thomam & Antoninum in LOCIS LAUDATIS A SUAREZ docere oppositum? Festiva res est. Hæc loca non affert, non expendit, ne verbum quidem ex iis recitat. Sed produ-

ducit quædam alia loca diversa, quæ P. Suarez numquam laudavit. Uter impostor est, Pater Concina, an Suarez?

CAPUT LVI.

Restituitur suæ integritati sententia Valentiae & Filliucii.

P. Concina Tom.5. pag.430.

An qui non potest propria voce confiteri, quia mutus est, teneatur confiteri PER NUTUS, VEL SCRIPTURAM? *Respondeo. Multi negant... Valentia Tomo 4. Disp.7. quæst.11. puncto 1. Filliuccius Tract.7. n.63.*

* * * * * * * * *

NEque sincerè repraesentatur a P. Concina sententia Valentiæ, neque Filliuccii. Quæstio proponitur disjunctivè, *per nutus, vel per scripturam*. Dicuntur negare Valentia & Filliuccius. Qui negat disjunctivam, ut cuilibet Summulistæ notum est, propugnat copulativam. Ut igitur verum sit, Valentiam & Filliuccium negare illam disjunctivam; propugnet uterque, oportet, hanc copulativam: *Mutus ille neque tenetur confiteri per nutus, neque per scripturam*. His positis.

Filliuccius negat quidem per Scripturam; sed utrum mutus ille teneatur confiteri per nutus, neque affirmat, neque negat, neque hanc quæstionem ullo modo attingit, vel P. Concina proferat Filliuccii verba, quibus de hac quæstione loquatur.

Valentia negat quidem ipse etiam per Scripturam: sed per nutus non modo non negat, sed expressissimè affirmat & defendit his verbis.

Quar-

Quarto asserimus, siquis mutus aut linguæ ignarus, aut aliter impeditus, possit SIGNIS AUT NUTIBUS *peccata sua explicare*, DEBERE *eum, quantum commodè poterit, ita confiteri*.

Per scripturam verò Valentia, Filliuccius, & multi negant propter periculum, ne Scriptura perveniat in aliorum manus, & peccata illius muti ab aliis cognoscantur. P. Concina defendit hìc more suo sententiam rigidiorem; defendit nempe obligationem confitendi peccata per scripturam, quæ legenda Sacerdoti tradatur ab eo, qui nequit propria voce confiteri. Et, quod advertendum est., allegat pro ea sententia Cajetanum in summa V. *Confessio* conditione undecima. Sed Cajetanus ibi Patri Concinæ apertissimè contradicit; &, sicut Valentia, ac Filliuccius, negat obligationem confitendi per scripturam. En ejus verba.

Secundo (adverte) *quoad scripturam, quòd licet mutus non valens signis confiteri, possit per scripturam poenitentialiter manifestare sua peccata*; NON TAMEN TENETUR *ad hunc modum confitendi*.

Admittit quidem Cajetanus ut necessarium quemdam alium modum; qui sic explicatur. Scriptæ sint in uno folio species peccatorum. Scriptæ sint in alio species numerorum. Et in aliquibus diversis schedulis scripta sint hæc verba *Commisi*, *Credo*, *Dubito*. Mutus indicet Confessario speciem peccati; tum indicet speciem numeri; tum tradat legendam schedulam respondentem conscientiæ suæ. Admittit, inquam, ut necessarium hunc modum, quia in eo non est periculum, ut quamquam folia & schedulæ ad aliorum manus perveniant, peccata Muti cognoscantur. Sed hæc non est sententia, quam P. Concina defendit, & pro qua Cajetanum allegat. Neque hanc negat Valentia, immo potius admittit, citans hunc ipsum Cajetani locum. Admittit enim obligationem confitendi per SIGNA, quantum fieri potest: & præfatus modus est potius confiteri PER SIGNA, quàm PER SCRIPTU-

 RAM.

RAM. Quare Pater Concina neque sincerè repræsentavit sententiam Valentiæ, neque Filliuccii; immo neque Cajetani sui; qui Valentiæ & Filliuccio favet, quatenus negat obligationem confitendi per scripturam; & Patri Concinæ contradicit.

CAPUT LVII.

Vindicatur ab invidiosa impostura PP. Lecchi, & Viva.

P. Concina Tom. 6. pag. 13. post relatum quemdam textum S. Augustini, quem adduxerat Joannes Barbeyracus in suo Tractatu Theologiæ moralis Patrum contra P. Cellier Benedictinum, ita pergit.

Textum hunc non opposuere neque Dallæus, neque Clericus severissimi Augustini censores. Ex suis ergo laudatis Magistris, illum, quemadmodum cætera adversus Patres, non transcripsit Barbeyracus; Sed EX NOSTRIS INFERIORIS SUBSELLII CASUISTIS, *qui eumdem allegant, ut juris naturæ ignorantiam ex Augustini mente invincibilem ostendant. Alter EX IIS est P. Dominicus Viva, qui in commentariis ad secundam propositionem Alexandri VIII. num. 2. falso in sensu laudatum Augustini textum obtrudit, ubi etiam truncatum D. Thomæ textum exhibet, ut suam roboret opinionem. Alter verò* P. LECCHI, *qui in suo opere inscripto* Avvertenze contrapposte all' Istoria del Probabilismo, *hunc locum mihi objecit, ut id ipsum evinceret, quàm vero irrito conatu alias ostendi in libro, cui titulus* Esplicazione di quattro paradossi pag. 12.

Ergo

ERgo, si P. Concinæ habenda est fides, Barbeyracus hæreticus textum illum Augustini EXSCRIPSIT EX NOSTRIS INFERIORIS SUBSELLII CASUISTIS, QUORUM alter est P. Lecchi, alter P. Viva. Ergo P. Lecchi, & P. Viva præmonstratores fuerunt illi Hæretico, & magistri; ut eo textu abuteretur contra mentem Augustini, & contra Patrem Cellier. Si ita se habet res, librum suum composuerit, oportet, P. Lecchi (ut de hoc primùm loquar) aliquot saltem dies ante illum Tractatum Barbeyraci, ut eum legere Barbeyracus, & textum Augustini exscribere inde posset. Nonne? Ita profecto. Bene.

P. Lecchi, ut patebit legentibus, librum suum edidit anno 1744. Numquid Barbeyracus edidit suum Tractatum eo anno, vel posterioribus? Audi Morerium in novissima editione anni 1740. Verbo *Barbeyrac*.

Il donna aussi en 1724. une nouvelle Traduction du Droit de la Guerre, & de la Paix de Grotius, avec de longues & d' excellentes Notes: & en 1728. un Traitè sur la Morale des Peres, pour repondre au Pere Cellier Benedictin.

Et sine ulla auctoritate Morerii, appositum illi Tractatui annum 1728 videri poterit, qui habet oculos. Quamobrem juxta chronologiam Patris Concinæ P. Lecchi, qui scripsit sexdecim annis post magister fuit ad textum Augustini adhibendum hæretico Barbeyraco, qui scripserat sexdecim annos ante. En quo perducat studium mordendi Jesuitas.

Quod attinet ad Patrem Viva non possum hac evidentia comprobare imposturam. Verè enim Viva scripsit ante annum 1728. in quo Barbeyracus dedit Tractatum suum. Quis tamen revelavit Patri Conciuæ, Barbeyracum legisse Trutinam Patris Vivæ, & ex illa Augustini

 tex-

textum exſcripſiſſe ? Hoc ſaltem habemus, temerè & ſine ullo fundamento Patrem Concinam hujuſmodi odium conflare Patri Vivæ conatum eſſe.

Ut verò ſemper clariùs appareat vacuitas illa a ſtudio partium, quam tantopere jactat P. Concina, hoc adverto. Memoratum textum Sancti Auguſtini in eodem prorſus ſenſu, in quo illum attulerunt P. Lecchi, & P. Viva, attulerat multo ante ipſos Sixtus Senenſis Dominicanus in ſua Bibliotheca ſancta, impreſſa Venetiis anno 1575. Ubi libro 5. annotatione 89. hæc habet.

Auguſtinus lib.22. capite 37. contra Fauſtum, & lib. 1. de ſermone Domini in monte cap.29. in dubium revocat, an Sarae pudicitia potuiſſet barbarorum libidini ſupponi citra ullum adulterii crimen, quaſi pro mariti vita liceat, ipſo conſentiente, cum alio viro concumbere; ſicut olim tempore Conſtantii Imperatoris Antiochiæ factum eſt. Ubi cum Acindinus Præfectus quemdam ſervaret in carcere occidendum; quia libram auri, quam fiſco debebat, non haberet unde ſolveret; Uxor mariti caritate commota unius noctis concubitum, ipſo conſentiente marito, vendidit diviti cuidam id anxiè flagitanti, ac libram auri pro mercede promittenti, ut eo pretio mariti vitam a Præfecto redimeret. Atque hoc facto Acindini pluribus explicato; liberum unicuique permittit, æſtimare quòd velit, quamvis in eam partem propenſior videatur, quòd id fieri neutiquam liceat.

Ego non diſputo, rectè ne, an ſecus Auguſtini mentem interpretentur Sixtus Senenſis, Lecchius, & Viva; in has me difficultates non induo; quæſtiones non reſolvo. Sed quæro a P. Concina; cur non meminit in hoc loco Sixti Senenſis, quem certiſſimè a Lecchio citatum legerat? Cur non dixit, Barbeyracum exſcripſiſſe textum Auguſtini potius a Dominicano, qui ſcripſerat 150 annos ante, quàm a Lecchio Jeſuita, qui ſcripſit ſexdecim annos poſt? Cur hanc invidiam iniuſtiſſimè conflavit Jeſuitæ, non verò Dominicano, cui veroſimiliùs ratione

tem-

porum conflare poterat? Oedipo non est opus, ut causa divinetur.

CAPUT LVIII.

Vindicatur ab evidenti impostura Terillus & Moya.

P. CONCINA Tom.6. pag. 32.

Opinionem Terilli, & Moyæ, docentium cum aliis, fas esse eligere sententiam unius docti Viri auctoritate munitam, tametsi legi repugnantem, ANATHEMATE CONFIXIT ECCLESIA ROMANA.

NImis impotenter P. Concina studet affingere Jesuitis propositiones damnatas. Opinio ANATHEMATE CONFIXA AB ECCLESIA ROMANA est hæc propositio 27. Alex. VII.

Si liber sit alicujus Junioris, & moderni debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse a Sede Apostolica tamquam improbabilem.

Quid verò si hanc opinionem neque Terillus, neque Moya doceant? Quid si EXPRESSE eam rejiciant? Quid si eam damnatam ab Ecclesia esse gaudeant etiam ex hoc capite, quod hujusmodi damnatione eorum judicium Ecclesia confirmarit? Videamus utrum hæc vera sint.

Terillus in suo Tractatu de Conscientia probabili quæstione 6. assertione 10. hæc habet.

Verùm, laus Deo, illa (Ecclesia Romana) *non tacet, sed sub sollicita cura supremi Pastoris ad corrigendas la-*

laxas opiniones in re morali desudat. Nam anno 1665. *die* 24 *Septembris approbante Sanctissimo exiit decretum in quo* 28. *propositiones ad mores spectantes damnantur tamquam ad minimùm scandalosæ, omnibusque in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione divini judicii præcipitur, ne quamvis illarum in praxim deducant; sed & sententia excommunicationis ipso facto incurrendæ, Romanoque Pontifici reservatæ omnibus interdicitur, qui illas, aut coniunctim aut divisim docuerint, defenderint, ediderint, aut de iis etiam disputativè publicè aut privatim tractaverint, nisi eas sic tractent, ut impugnent. Inter has propositiones penultima ex condemnatis ita se habet.* „ Si liber sit alicujus junioris & moderni, debet opinio „ censeri probabilis, dum non constet rejectam esse a „ Sede Apostolica tamquam improbabilem „. EN PROPOSITIO, QUAM LUMINE RATIONIS EVIDENTER FALSAM ESSE NOVERAM, CUJUSQUE FALSITATEM HIC DEMONSTRAVI, *jam ab Apostolica Sede ad minimum damnata est, ut scandalosa.*

Moya in Selectis Tract. 1. quæst.4. §.4. hæc habet.

Ex dictis colliges primo; FALSAM & IMPROBABILEM ESSE SENTENTIAM ASSERENTIUM, *opinionem typis datam ab aliquo Juniori & moderno, eo ipso debere censeri probabilem, dum non constet ab Ecclesia fuisse rejectam.*

Et post comprobatam solidis rationibus hanc suam doctrinam directissimè & expressissimè oppositam opinioni damnatæ, ita pergit.

Hac ratione, quia revisores librorum non rite funguntur officio suo, experimur quotidie, opiniones plures ab antiquis & modernis traditas, & typis datas, jure fuisse ab Ecclesia damnatas: QUARUM PLURES *adduxi in opusculo pro Jesuitis* (Guimenio) NULLI VERO SUFFRAGIUM ADIUNGENS, NEC PROBABILITATEM ULLAM ADSTRUENS; *sed quæstionem facti pro Jesuitarum vindiciis instituens, ut imposturas aperirem, & a* la-

laxorum nota innoxios, auctoribus suis opinionibus restitutis, demonstrarem. QUARUM *ad viginti, quæ in præfato opusculo ex variis Doctoribus* (non Jesuitis) *justæ defensionis causa fideliter excerptæ referuntur, ut minimùm, ut scandalosas, inter alias damnavit Sanctiss. P. Alexander VII. anno* 1665. *&* 1666. *& fere omnes ipse reprobaveram in editione Madritensi anno* 1664. *Quarum sillabum feci in libello supplici ad Eminentissimos S. R. E. Cardinales. Inter damnatas autem die* 24. *Septembris anno* 1665. *vigesima septima est, quam in præsenti* REJICIMUS „ Si liber „ sit alicujus Junioris & moderni, debet opinio censeri „ probabilis, dum non constet rejectam esse a Sede „ Apostolica tamquam improbabilem „. *Non ergo sufficit, quòd opinio in libro moderni reperiatur, ne quòd ab Ecclesia damnata non fuerit, ut probabilis censeatur.*

Igitur, ut dicebam, Terillus & Moya opinionem proscriptam non modo non docent; non modo expressissimè rejiciunt; sed gaudent, judicium suum ab Ecclesiæ damnatione confirmatum fuisse. Et nihilominus juxta Patrem Concinam OPINIONEM TERILLI & MOYÆ ANATHEMATE CONFIXIT ECCLESIA ROMANA.

Hæc satis ad institutum. Placet nunc afferre verba cujusdam Theologi Patri Concinæ neque ignoti, neque invisi. Is est P. Ignatius Camargo Societatis Jesu, acerrimus ille Probabiliorista, ex quo P. Concina tam multa exscripsit adversus Probabilistas: Qui in sua regula honestatis moralis Parte 1. lib. 2. Controversia 3. artic. 3. hæc habet.

Dicendum est, ac firmiter tenendum, non omnem opinionem etiam multorum gravium Auctorum sufficere ad honestè operandum, seu, quòd eodem redit, non omnem esse regulam honestatis moralis. NON OMNEM, *inquam, nos enim haud negamus, opinionem gravium Doctorum, immo &* UNIUS *tantùm aliquando licèt rarissimè, etiam contra opinionem aliorum plurium,* VEL *etiam* COMMUNISSIMAM, *esse posse quandoque regulam sufficien-*

cientem ad honestè operandum; dummodo fiat operanti propria, & omnibus inspectis, vera existimetur ab ipso.

De recitata hujus acerrimi Probabilioristæ Doctrina more meo nihil definio. Lectores judicent: qui forte scire cupiant, quid hac super re Probabilistæ dicant, adire possunt P. Vivam in commentario præfatæ propositionis: & Patrem Cardenas Tract.1. Disput.11. cap.3.

CAPUT LIX.

Vindicatur ab iniusta criminatione P. Vasquez.

P. Concina Tom.6. pag.219. propugnans, non posse dari actus indifferentes in individuo, hæc liberaliter scribit contra P. Gabrielem Vasquez.

Adeo compertum est, PATRES OMNES *hanc propugnare Doctrinam, ut P. Gabriel Vasquez candidè fateatur, illam esse S. Augustini, Prosperi, Fulgentii, S. Thomæ,* ALIORUMQUE PATRUM; *a qua tamen recedere religioni minimè ille sibi vertit*; IDQUE NON RARO PRÆSTAT.

Et inferius pag.226. nimiùm gloriosè, ni fallor, ita repetit.

Sententiam nostram scripturæ divinæ, PATRES OMNES, *judice ipso P. Vasquezio, & invicta rationum momenta; Ecclesia ipsa in proscriptis propositionibus* EVIDENTER *demonstrant*.

Quid-

QUidquid sit de illa sententia, impugnante actus indifferentes in individuo, nihil ad me; ut enim sæpius protestatus sum, non ago hic, neque decido ullam quæstionem. Quæ dico contra FIDEM Patris Concinæ, hæc sunt.

I. Falsissimum est Patrem Vasquez fateri, PATRES OMNES propugnare illam Doctrinam.

II. Falsissimum est, illa verba ALIORUMQUE PATRUM, vel etiam eorum sensum, reperiri in Patre Vasquez: sed istud omne Pater Concina ad conflandam invidiam acutissimo summoque Theologo liberaliter addidit de suo.

III. Quod consequitur ex dictis, injustissima est, & satis conviciosa illa criminatio; Patrem Vasquez non sibi vertere Religioni discedere a communissima doctrina Patrum, & id non raro præstare.

Ad hæc probanda non afferam quidem concepta verba P. Vasquez, quia oporteret rescribere plura integra, & prolixa capita; referam tamen summa fide ejus doctrinam.

Igitur P. Vasquez in 1. 2. Disput.52., ubi tractat hanc quæstionem, Capite primo recenset quidem multos Patres, sed non pro sententia negante actus indifferentes in individuo, verùm ad stabiliendam notionum VERBI OTIOSI, sive ad constituendum, quid intelligendum sit nomine VERBI OTIOSI, de quo dicitur in Evangelio reddendam esse rationem.

Capite sexto, ubi resolvit quæstionem, refert Patres faventes præfatæ doctrinæ, scilicet S. Augustinum, aliquos ejus discipulos, Prosperum nempe & Fulgentium; & S. Thomam. Hos tantùm, & alium neminem, concedit illi opinioni, & provoco Patrem Concinam, ut nominet UNICUM alium ex Patribus, qui a Vasquezio pro opinione præfata vel nominatim vel implicitè referatur.

S Eo-

Eodem Capite sexto dissolvit paritatem petitam a verbo otioso, quæ esse solet Achilles adversariorum. Et de Patribus, quos pro notione verbi otiosi citaverat, ita loquitur.

Verumtamen neque hi Patres priori opinioni favent.

Demum eodem capite sexto solidè probat, pro actibus indifferentibus in individuo, quos & ipse propugnat, stare S. Hieronymum, Sanctum Gregorium Nazianzenum, Auctorem Hypognosticon, S. Gregorium, Sanctum Bonaventuram, Alexandrum de Ales, & Scotum. Hæc est sincerissimè & candidissimè doctrina Patris Vasquez, quòd attinet ad rem præsentem.

Cùm igitur P. Vasquez concedat sententiæ oppositæ solos S. Augustinum, Prosperum, Fulgentium, & S. Thomam: cùm omnes alios illi sententiæ apertissimè neget: cùm contendat stare pro sua ex Patribus Hieronymum, Nazianzenum, Auctorem Hypognosticon, S. Gregorium, S. Bonaventuram, & ex principibus Theologis Alexandrum de Ales, & Scotum: quo jure, qua fide pronunciat P. Concina, PATRES OMNES JUDICE IPSO VASQUEZIO defendere illam sententiam: VASQUEZIUM CANDIDE FATERI, illam esse S. Augustini, Prosperi, Fulgentii, ALIORUMQUE PATRUM: & non obstante hujusmodi candida confessione, minimè sibi vertere religioni, recedere a communissima Doctrina Patrum? Si P. Vasquez id aliàs præstat, ut præstat hic; certissimè numquam præstabit.

Nec P. Concina instituat hic forte disputationem, utrum Patres pro se citati a P. Vasquez ipsi faveant nec ne? Utrum alii etiam Patres produci possint pro sententia contraria? Non est hoc quod quærimus. Hoc misso, semper verissimum remanet, Patrem Vasquez NON FATERI, OMNES PATRES esse in opinione opposita; immo paucos ipsi concedere; & judicare PLURES PATRES stare pro sua. Atque ideo injuriosa est impostura, Patrem Vasquez candidè fateri, stare pro opposita communissimam,

mam Patrum, & nihilominus, supposita hac confessione, sine ullo conscientiæ stimulo communissimæ Patrum contradicere. Rigidioris Ethices Professor Religioni sibi vertere deberet, hæc in vulgus disseminare.

CAPUT LX.

Vindicatur ab impostura P. Suarez.

P. Concina Tom. 6. pag. 404.

Unde colligendum sit, legem sub mortali, aut sub veniali obligare? .... P. SUAREZ *lib. 3. capite 25. num. 3.* EX INTENTIONE *legislatoris id erui posse* CONTENDIT. NEGANT ALII, *quia si materia præcepta* LEVIS *omnino sit; nequit legislator pro sua voluntate eam* GRAVI *afficere obligatione.... Quare optimè concludunt perdocti Viri*, EX PLURIBUS *colligendam esse obligationem aut gravem aut levem, nempe* EX GRAVITATE MATERIAE, EX VERBORUM EFFICACITATE, EX POENÆ IMPOSITIONE, EX INTENTIONE LEGISLATORIS. *Ne multa. Quando materia natura sua gravis est, verbis propriis legis præcipiatur, nisi expressè legislator declaret, se velle sub culpa tantùm levi, concludendum est, & legem graviter, & sub mortali obstringere subditos ....* HÆC EST VERA, & COMMUNIOR SENTENTIA.



IMposturam impactam hic Patri Suarez lectorum oculis ita subjicio. Tria asserit in recitatis verbis P. Concina.

Asserit primo, Patrem Suarez CONTENDERE, obligationem aut gravem aut levem legis erui posse EX N TENTIONE legislatoris.

Afferit fecundo, ALIOS NEGARE hanc P. Suarez Doctrinam propter hanc rationem; quia fi materia fit omnino LEVIS, nequit legislator pro fua voluntate eam afficere obligatione GRAVI.

Afferit tertio, optimam, veram, & communiorem fententiam eam effe, quam tenent perdocti Viri, qui repetunt præfatam obligationem ab enumeratis quatuor capitibus: nimirum EX GRAVITATE MATERIAE; EX VERBORUM EFFICACITATE; EX POENÆ IMPOSITIONE, ET EX INTENTIONE LEGISLATORIS. Et ab iis perdoctis Viris, qui hanc fententiam tuentur, certiffimè excludit Patrem Suarez, fiquidem hanc Sententiam refert tamquam diverfam a fententia Suarii, immo ut contrapofitam illi, quam in Suario reprehendit.

Jam verò fi P. Suarez NON CONTENDAT, obligationem legis aut gravem aut levem erui POSSE AB INTENTIONE legislatoris: Plus: Si idipfum neget ficut NEGANT ALII: etiam plus: fi neget propter ipfiffimam rationem; quia nempe nequit legislator pro fua voluntate afficere obligationi GRAVI materiam LEVEM: Adhuc plus: Si ex profeffo & ordinatè per plura capita propugnet optimam illam veram, & communiorem fententiam, quam propugnant perdocti Viri; & conceptiffimis verbis doceat quantitatem obligationis a præfatis quatuor capitibus repetendam effe: Impofuit P. Concina P. Suarez nec-ne? Nemo, puto, negabit. Demonftremus igitur omnia fupradicta.

P. Suarez lib.3. de Legibus citatum caput 25. ita orditur.

Quoniam dictum eft, legem poffe de fe obligare fub mortali, licèt non femper ita obliget, & ideo neceffarium eft declarare quando obligatio legis pertingat ufque ad illum gradum, in quo tam rigorosè obliget. Quantum autem EX COMMUNI *Doctrina Doctorum in hac materia colligi poteft*, TRIA CAPITA *defignari folent ad hanc gra-*

gravitatem obligationis in lege discernendam: Nimirum qualitas, seu quantitas, aut GRAVITAS MATERIAE, *in quà lex præcipit*; (en primum Caput designatum cum perdoctis viris a P. Concina) VERBA, *quibus lex profertur*, (En secundum) *sub quibus* POENAM *in lege additam comprehendimus*, (En tertium) ET INTENTIO *præcipientis* (En quartum) *de quibus singillatim dicendum est*.

Deinde hoc capite 25. ex professo probat requiri primùm, nempe GRAVITATEM MATERIÆ. Cap.26. probat requiri secundum, & tertium, nempe VERBA propria legis, ET POENAM gravem. Et tandem cap. 27. probat requiri quartum, nempe INTENTIONEM legislatoris: requiri scilicet, ut legislator non se declaret velle tantummodo obligare sub levi. Ut patebit legentibus vel solos titulos Capitum, quæ hic rescribere nimis esset prolixum.

Certissimum ergo atque evidentissimum est, Patrem Suarez expresse propugnare optimam, veram & communem sententiam, quam defendunt perdocti viri, qui docent EX PLURIBUS, nempe ex quatuor dictis capitibus quantitatem obligationis repetendam esse.

Videamus nunc, utrum CONTENDAT, quemadmodum affingit P. Concina, præfatam quantitatem EX INTENTIONE legislatoris erui posse. An verò illud neget sicut NEGANT ALII, & propter ipsissimam rationem, quia nempe, quando materia est omnino levis, nequit legislator pro sua voluntate eam afficere obligatione gravi.

Eodem citato cap.25. num.2. P. Suarez ita pergit.

Circa primum (ex enumeratis quatuor capitibus) CERTUM *est*, GRAVITATEM *materiæ præcepti esse necessariam ad gravem legis obligationem*; ITA UT NON SIT IN POTESTATE *legislatoris humani obligare* SUB MORTALI IN MATERIA LEVI, *etiamsi id maximè velit, & intendat*.

CON-

CONTENDIT ne P. Suarez obligationem legis aut gravem, aut levem erui posse EX INTENTIONE legislatoris: an verò id negat, sicuti NEGANT ALII, & quidem propter eamdem rationem? Pergamus; nam audientur illustriora.

Num.3. objicit sibi illam sententiam, quam ipsi affingit ut propriam P. Concina, objicit, inquam, ut contrariam suæ, quam stabiliverat num.2. verbis modo recitatis; atque ita loquitur.

Contra hanc verò sententiam referri possunt varii auctores, qui frequenter dicunt, EX INTENTIONE LEGISLATORIS *pendere, quòd præceptum obliget sub mortali.*

Et post allatas aliquas eorum rationes, inter quas est Præceptum grave impositum Adamo de non comedendo pomo, quæ videtur materia levis: Audi quomodo non CONTENDAT cum illis quantitatem obligationis pendere AB INTENTIONE legislatoris; sed hanc opinionem ipsi affictam a P. Concina expressè rejiciat, & firmiter adhæreat sententiæ oppositæ, quam numero secundo verbis supra relatis jam stabiliverat.

Sed nihilominus, inquit, assertio posita (num.2.) *verissima est, &* COMMUNIS, *sufficienterque demonstrata*.

Et deinde solvit obiectionem petitam a Præcepto Adæ; dicendo num.5. materiam illam de se LEVEM, propter circumstantias & finem fuisse GRAVEM. Quamobrem tantum abest, ut P. Suarez CONTENDAT id, quòd ipsum contendere dicit P. Concina, ut afferat illam opinionem per modum obiectionis, ut illam rejiciat, ut ejus rationes solvat, ut amplectatur & solidè probet oppositam tamquam VERAM & COMMUNIOREM.

Ergo P. Suarez neque CONTENDIT quantitatem obligationis erui posse AB INTENTIONE LEGISLATORIS; & expressè defendit contrarium, & docet eam quantitatem repetendam esse ab iis quatuor Capitibus, a quibus illam repetunt perdocti Viri. Ergo P. Concinam posuit. Q.E.D. Pro-

Propulset aliquanto longius P. Concina rancidulam cantionem.

CAPUT LXI.

Restituitur suæ integritati sententia P. Sanchez.

P. CONCINA Tomo *6.* pag. 437.

Quid si Confessarius pro poenitentia præscriberet tres missas audiendas? Posses ne eodem tempore omnes audire? ADFIRMAT P. SANCHEZ *lib.1. cap.14. num.11.* CUI NON REPUGNAT LEDESMA...... *Sed hæc opinio mihi improbabilis omnino est, quia legem circumvenit, immo eam deludit. Confessarius, qui tres audiendas Missas præscribit majorem se imponere poenitentiam intendit, quàm si unam aut duas juberet. Porro tres Missas eodem tempore audire non est major poenitentia, quàm unicam audire. Nemini Christianorum lumine naturali judicanti hæc casuistica opinio in mentem veniret.*

.§***§***§.

PUtabitis sine dubio, Lectores æquissimi, P. Sanchez EXPRESSE & conceptis verbis loqui de tribus Missis a Confessario pro poenitentia præscriptis. Id enim omnino persuadent, immo propinant recitata verba Patris Concinæ. Atqui scitote, Patrem Sanchez de Missis pro poenitentia a Confessario præscriptis ne verbum quidem facere, neque istud ex ejus generali doctrina inferri posse, immo potius inferri oppositum. En prius verba Sanchezii loco citato.

Po-

Potest uno & eodem tempore diversis actibus DUPLICI PRÆCEPTO *satisfieri, quando unum non impedit aliud: quòd nullibi* TEMPORUM DIVERSITAS *præcipiatur. Atque ita fatentur fere universi Doctores, nam dicunt posse quempiam tempore, quo Missam in Festo præceptam audit, recitare boras canonicas, vel quascumque alias preces, ad quas ratione Ordinis, Voti, aut poenitentiæ injunctæ tenetur.*

Tum post citatos plurimos auctores pro præfata Sententia ita pergit num.12.

Hinc deducitur, eum, qui duplicem Missam audire tenetur, posse eas simul audire, dum eæ simul in duplici altari celebrantur. Sic Petrus de Ledesma in summa Sacramen. ubi de Eucharistia in cap.27. paulo ante conclusionem 9.

Primùm nihil EXPRESSE habet Sanchez, ut dicebam, de Missis a Confessario præceptis pro poenitentia. Loquitur quidem de precibus pro poenitentia injunctis, & has docet recitari posse, dum quis audit Missam in Festo præceptam: sed MISSAS PRO POENITENTIA PRÆCEPTAS nusquam nominat.

Deinde quamvis doceat posse simul audire duas Missas, ad quas quis tenetur; non tamen hinc statim infertur posse eas simul audiri, si a Confessario pro poenitentia præceptum sit duas Missas audire. Sed potius attenta tota Doctrina Sanchezii infertur contrarium.

PRIMO. Quia P. Sanchez quando docet, posse uno & eodem tempore diversis operibus DUPLICI PRÆCEPTO satisfieri, loquitur de operibus debitis ex præceptis diversis, dissimilibus, &, ut ajunt, disparatis. E.G. de Missa debita ratione Festi; & de Horis Canonicis debitis ratione ordinis: De Missa debita ratione Voti, vel poenitentiæ injunctæ. Patet hoc evidenter. Nam ibi profitetur se amplecti sententiam Ledesmæ, & Ledesma apertè loquitur de duabus Missis a duobus dissimilibus præceptis imperatis *Lo segundo, inquit, se ha de advertir,*

tir, che quando un' hombre està obligado a oyr dos missas POR DOS DIFERENTES TITULOS, *las puede oyr ambas juntamente en dos altares*. Atqui tres missæ injunctæ a Confessario pro poenitentia non sunt debitæ ex dissimilibus titulis, immo neque propriè EX DUPLICI, sed ex uno eodemque præcepto. Ergo de istis neque apud Sanchezium, neque apud Ledesma sermo est.

SECUNDO. Quia Pater Sanchez loquitur de iis casibus, in quibus non præcipiatur DIVERSITAS TEMPORUM. Si enim simul cum operibus constet præcipi diversitatem temporum, non ita insanit, ut doceat satisfieri præcepto per opera posita eodem tempore. Atqui Confessarius præcipiens pro poenitentia audire tres Missas, apertissimè præcipit diversitatem temporum. Quia, ut rectè advertit P. Concina, intendit imponere majorem poenitentiam, sive imperare poenitenti diuturniorem moram & assistentiam sacris, quàm si juberet audire unam vel duas. Ergo de hoc peculiari casu non loquitur P. Sanchez.

Quare cum P. Sanchez id non affirmet EXPRESSE, ut est evidens; cum probabilissimum sit, illud nec affirmare IMPLICITE, ut ostendimus, non videtur mihi satis bona fides absolutè & intrepidè pronunciare, ADFIRMAT P. SANCHEZ.

Postremo hoc adverto. Ledesma scripsit ante Patrem Sanchez. P. Sanchez hoc in loco se Ledesmæ discipulum profitetur. Et tamen Sanchez primus ostentatur, primus in scenam producitur intrepido illo ADFIRMAT SANCHEZ. Et Dominicanus velatur mitissimo illo loquendi modo CUI NON REPUGNAT LEDESMA. Cur P. Concina non dixit, ut ratione temporis & magisterii dicendum erat, ADFIRMAT LEDESMA, CUI NON REPUGNAT SANCHEZ? Fortasse ob ejus vacuitatem a studio partium.

CAPUT LXII.

Vindicatur a repetita impostura P. Bauny.

P. CONCINA Tom. 6. pag. 438.

Alteram casuisticam opinionem, quam docent BAUNYUS, *..... te videlicet posse plures Missæ partes simul audire a diversis Sacerdotibus, ab uno usque ad consecrationem, ab altero usque ad finem, & præcepto satisfacere, damnavit Alexander VII.*



HÆc est eadem impostura in P. Baunyum, ac illa de qua dictum est capite 46. desumpta ex Tomo 5. pag.77. at quoniam P. Concina, quòd non raro præstat, repetitione utitur; mihi quoque eadem utendum est.

Igitur P.Baunyus, ut ibi diximus, NON DOCET illam opinionem. DOCERE enim opinionem aliquam, significat apud omnes, illi adhærere ut propriæ, illam præferre oppositæ, illam putare vel unicè veram, vel saltem contraria probabiliorem. Porro Baunyus nihil horum præstat: sed relata primo loco sententia negante satisfieri præcepto per illam simultaneam auditionem, & secundo loco sententia adfirmante nunc damnata, ait.

Hæc secunda sententia, quamquam probabilis, TAMEN IN PRAXI NON EST SEQUENDA, SED PRIOR.

Quibus verbis non modo non adhæret illi opinioni ut propriæ, non modo illam non anteponit oppositæ; non modo non reputat opposita probabiliorem: sed oppositæ longe postponit; sed reputat illam MULTO MINUS

NUS probabilem: siquidem neque illi concedit probabilitatem PRACTICAM; Probabilistæ enim non prohibent, sequi IN PRAXI opiniones PRACTICE probabiles. Vide alia, quæ ibi dicta sunt.

Duo hic præterire non libet. Primum. Præfata opinio non est damnata ab Alexandro VII, ut scribit P. Concina, sed ab Innoc. XI in propositione 53. Quòd quidem quantum attinet ad damnationem perinde est; sed non quantum attinet ad diligentiam Scriptoris.

Secundum. P. Concina hoc in loco post affictam Baunyo memoratam opinionem, ita pergit: *Hinc collige, eo plures recentiores Theologiam casuisticam dirigere, ut vim legum extenuent zelo minuendi peccata*. AT NUMQUAM ABUNDANTIUS *peccatorum torrens inundavit Christianismum, quàm post invectam Theologiam probabilisticam*.

Theologia probabilistica invecta est a Patribus Dominicanis præter propter post celebratum Concilium Tridentinum. Theologia probabilistica viget in certis quibusdam terrarum orbis partibus, in certis aliis viget potius Theologia probabilioristica. Utrum abundantior peccatorum torrens inundaverit Christianismum post Concilium Tridentinum, an ante: Utrum abundantior peccatorum torrens eas regiones inundet, ubi viget Probabilismus, an alias, ubi viget Probabiliorismus; judicabunt alii, qui in rebus Facti multo magis, quàm ego, versati sunt. Unum ego dicam, quòd a peritis & fide dignis audivi: Peccata, quorum torrens Christianismum inundat, non ea esse, de quibus hinc inde a catholicis Theologis disputatur utrum peccata sint; sed ea quæ Rigoristæ, Benignistæ, Probabilioristæ, Probabilistæ, Docti, Indocti, Senes, Pueri, Mares, fœminæ evidentissimè norunt, & concedunt esse peccata.

CAPUT LXIII.

Restituitur suæ integritati sententia Tamburini.

P. Concina Tom.7. pag.55. in catalogo propositionum damnabilium.

P. Thomas Tamburinus lib.3. Methodi Confess. cap.4. n.5
„ Si prævideat Confessor, pœnitentem non restituturum, „ si illi detegatur nullitas tituli, quam pro se adesse „ pœnitens putat, non erit ex Sanchez talis nullitas „ illi a Confessario patefacienda; quamvis sit in præ„ judicium tertii, qui suo carebit. „ *Quàm sit principium illud justitiæ, negotiationi, & societati perniciosum, quisque judicet.*



MUtilata conjicitur in Catalogum propositionum damnabilium propositio Tamburini; & ea resecantur, quæ æquivocationem tollunt, ac sententiam multo minus invidiosam reddunt. Tamburinus enim loco citato expressè dicit, a Confessario NON INTERROGATO. Illæ autem voces NON INTERROGATO a P. Concina nescio cur resectæ, non levis momenti sunt. Nam sine illis sententia Tamburini apparet indefinita, & loquens de quocumque Confessario, sive interrogetur, sive non; Et tunc esset contra communissimam opinionem omnium Theologorum; quia, si Confessarius interrogetur, patefaciendam ab eo esse veritatem omnes concedunt. Utrum verò patefacienda sit a Confessario NON INTERROGATO, quando nullum speratur bonum neque Pœnitentis, neque Tertii; & quando Ter-

tius

tius cariturus èst suo, tametsi pœnitens moneatur, in quæstione est, & negatur communius, ut videbimus: Ideoque sententia Tamburini, adjectis, sive in sua sede relictis, duabus prædictis vocibus, quas P. Concina detruncavit, est multo minus odiosa.

Sed quoniam hujus sententiæ mentio incidit, placet alia subjungere. Incredibile est, quo impetu contra præfatam opinionem invehatur P. Concina multis in locis suæ hujus Theologiæ. Ostentando tamen semper more suo fermè solos Auctores Societatis, ut iis vel solis, vel potissimum laxitatis nota adhærescat. Ejus convicia, & declamationes prius referam: tum indicabo Auctores eam opinionem defendentes; postremo dicam, quid colligi velim.

Hoc in loco eam damnationi proponit præfixo solo nomine Tamburini; eamque appellat, ut vidimus, *Principium Justitiæ, negotiationi, & Societati perniciosum*.

Tomo 9. pag.695. citato unico P. Viva illam sic insectatur: *Oro, efflagiteque, ut salvo erga pium, doctumque Auctorem officio* (erga multos Dominicanos salvandum erat, ut videbimus, hoc officium) *ea promere sincere, & liberè, quæ imbecillitati meæ vera videntur, valeam. Hæc doctrina, ut mihi videtur, non modo falsa, &* LAXA *est, sed ex illa* HORRENDA *consequi* ABSURDA *judico: nempe* UNIVERSUM EVANGELIUM *everti, & susdeque principia* EVANGELICÆ PRÆDICATIONIS *evolvi. Quis alienum possidet bona fide: contractum fenebrem justum existimat: ille bona fide versatur in occasione proxima: isti bona fide procrastinant, differunt debitorum solutiones. Et minister Evangelicus pœnitentes istos ad confessionem accedentes admonere non tenetur? Immo ignorantia non est amovenda, non debet amoveri? Cur? Ne revelatio veritatis noceat pœnitenti*. O TEMPORA, O MORES!

Tomo 10. pag.373. citatis quidem etiam Salmanticensibus, sed præcipuè exagitando La-Croix, & Gobatum,

tum, eam opinionem in medium rursus producit, & his conviciis afficit. Pag.374. *Commenta peregrina, & Evangelio pugnantia*. Pag.377. *Principium, quo recentiores docent, omittendam a Confessario admonitionem, quia scilicet pœnitens prævidetur non paratus, non dispositus, non promptus ad eam acceptandam, est evidenter falsum, Evangelio Christi vi evidentis ratiocinii adversum, laxitatis plenissimum; unde sacrilegia, & innumera absurda proficiscuntur*. Pag.380. *Hæc doctrina, ut locis indicatis palam feci, hostiliter cum Evangelio pugnat*.

Videamus nunc, quinam docuerint sententiam, JUSTITIÆ, NEGOTIATIONI, ET SOCIETATI PERNICIOSAM; HORRENDORUM ABSURDORUM PARENTEM, UNIVERSUM EVANGELIUM EVERTENTEM, SUSQUE DEQUE EVANGELICAM PRÆDICATIONEM EVOLVENTEM, COMMENTUM PEREGRINUM, & EVANGELIO PUGNANS, EVANGELIO VI EVIDENTIS RATIOCINII ADVERSUM, LAXITATIS PLENISSIMUM, SACRILEGIORUM, ATQUE INNUMERABILIUM ABSURDORUM FONTEM, HOSTILITER DEMUM CUM EVANGELIO PUGNANS. Hi sunt sequentes.

I. Martinus Ledesma Dominicanus secunda 4. quæst. 8. art.4. dub.9.

Dubitatur 9. an Confessarius debeat dicere veritatem pœnitenti ignoranti invincibiliter, quando ignorantia est CUM GRAVAMINE ALTERIUS, *ut* SI QUIS HABEAT ALIENUM, *& ignoret invincibiliter; an Confessarius debeat dicere veritatem, quando ex conjecturis cognoscit? Ad hoc dico, quod si Confessarius credit, quod restituet, tenetur ei dicere veritatem, quia aliàs esset socius furti. Secundò dico; quod* SI NIHIL EST PROFECTURUS, NIHIL EI DICERE. *Probatur. Quia est perdere opus, & nihil debet sine utilitate fieri*.

II. Melchior Cano Dominicanus Relectione de Pœnitentia Part. *6.* quæst. *6.* §. *Atque id intelligi volo*; pag. 255. editionis Ingolstadiensis anni 1580. *At-*

Atque id intelligi volo, (Confessarium teneri admonere) *cum existimo, me pœnitenti profuturum . Nam frustra niti , & nibil aliud, quàm laborando odium quærere, ut Sallustius ait , extremæ dementiæ est . Et D. Augustinus de Pœnit. dist.7. Cap.* Si quis : *Ideo, inquit, do tibi pœnitentiam, quia nescio ; nam si scirem nibil tibi prodesse , non tibi darem, non admonerem. Ratio quoque perspicua est; quia nulla lex obligat ad actus inutiles , & otiosos. Item sicut correctio ad bonum illius, qui corripitur ; ita confessio ad bonum pœnitentis ordinatur. Sed quando scio , nibil me mea admonitione profuturum , non teneor fratrem corripere aut delinquentem, aut ignorantem. Ergo. Hinc facile discernetur, quid in multis eventis Confessarius babeat facere*, SI PRUDENS ESSE VELIT. *Ut si mulier nupsit Petro occultè non consummato matrimonio. Deinde contraxit cum Joanne publicè, & consummavit, cum quo manet* BONA FIDE. *Item si mulier contraxit cum fratre suo, vel affine, quem invincibiliter ignorat esse fratrem , &c. Nam in bis omnibus casibus*, SI CREDO MEUM CONSILIUM PROFUTURUM ; TENEOR ADMONERE ; SIN MINUS, TENEOR NON ADMONERE; *sive id sit* IN DETRIMENTUM PROXIMI, *sive non: sive sit contra jus divinum, sive bumanum*.

III. Magister Bannez Dominicanus in 2. 2. quæst.33. in commentario articuli 6.

Ex hac doctrina sequitur quod Confessarius, qui noverit pœnitentem ignorantia invincibili laborare, maximè si est ignorantia facti, NON DEBET DOCERE IGNORANTEM, *si probabiliter æstimat, quod ille adbuc permanebit in suo facto , & amplius peccabit*.

IV. Magister Serra Dominicanus in 2. 2. quæst.33.

Si Confessarius sciret, mulierem esse nuptam cum Viro, qui re vera non est suus vir ; timeret tamen probabiliter, ac prudenter , illam , etiamsi admoneretur , non fore recessuram ab eo, NON TENETUR ILLI VERITATEM APERIRE. *Quod verum etiam est, quamvis peccatum*

catum per ignorantiam excusatum ESSET IN DETRIMENTUM TERTII; *ut si quis bona fide possideret hæreditatem alienam, aut contractum usurarium efficeret, & sciret Confessarius, aut probabiliter timeret, ejus admonitionem nihil esse profuturam; quia difficillimum est relinquere hæreditatem, aut lucrum hujusmodi.*

V. Dominicus Soto Dominicanus in 4. dist.18. quæst. 2. a. 4. quamvis teneat, Confessarium debere instruere pœnitentem, quando ignorantia est eorum, quæ omnes tenentur scire, quia putat talem omnem ignorantiam esse culpabilem: tamen si ignorantia sit inculpabilis, in qua solùm hypothesi loquuntur cæteri Auctores, ipse etiam docet præfatam sententiam his verbis.

Quando ignorantia est juris, quod omnes tenentur scire, sive divini, sive humani, vel facti, quod ille pœnitens scire tenetur; Sacerdos obligatur pœnitentem instruere, quidquid sequatur, sive prosit, sive obsit. Res est clara: NAM OMNIS TALIS IGNORANTIA EST CULPABILIS, & PECCATUM. *Quare si pœnitens ignorat articulum fidei; nulla de causa debet silere Sacerdos, sed illum docere. Si autem ignorantia sit eorum, quæ non omnes tenentur scire, sive sit juris divini, sive humani: tunc distinguendum est. Si Sacerdos viderit quod possit prodesse, idque sine gravi scandalo; tunc tenetur rem detegere.* SI VERO VIDET, QUOD NULLATENUS PRODESSE POTEST, AUT SINE GRAVI SCANDALO; TUNC TENETUR TACERE, ET DISSIMULARE, *si non interrogatur,* [en verba detruncata a Patre Concina in Tamburino] *aut si alter non confitetur de illo tamquam de re scrupulosa.*

VI. Petrus du Fay Dominicanus quæst.9. supplementi art.2. disp.4. concl.4.

Sacerdos tenetur docere pœnitentem tam in communi, quàm in particulari ea, quæ scire debet, etsi ignorantia invincibili excusetur v. g. contractum aliquem, quem novit esse usurarium; fornicationem simplicem esse illicitam.....,

IN-

INTELLIGENDA *tamen hæc sunt, quando Sacerdos probabiliter existimat, pœnitenti profuturum suum consilium, & doctrinam*: SI ENIM AB EISDEM NULLUM RELATURUS SIT PROFECTUM AUT EMOLUMENTUM, SED POTIUS SCANDALUM ALIQUOD INCURSURUS, EXCUSABITUR AB HOC OFFICIO.... *Ratio est, quòd sicut correctio fraterna ordinatur ad bonum fratris corripiendi; ita sacramentalis confessio, & ea, ad quæ tenetur Sacerdos in administratione ejusdem, diriguntur ad bonum spirituale pœnitentis. Sed quando corrigens probabiliter existimat, quòd sua correctione non emendabitur, sed potius scandalizabitur corripiendus, potest*, IMMO TENETUR ABSTINERE *correctione. Ergo similiter in nostro casu.*

VII. Ludovicus Lopez Dominicanus prima parte Instructorii cap.27. §. *Ad prudentiam Confessoris*.

Ad prudentiam quoque Confessoris attinet TACERE, *& nihil interrogare, quando videt pœnitentem ignorantia inculpabili ignorare, aliquid esse peccatum mortale*; QUANDO EX ADMONITIONE NON SPERATUR EMENDA, VEL QUANDO DIFFICILE EST REMEDIUM.

VIII. Bartholomæus Medina Dominicanus in Instructione Confessariorum ex idiomate Hispano in Italicum versa, lib.2. cap.3.

Il quarto avviso. Quando il Confessore vedrà il Penitente essere d' un' ignoranza invincibile, o con buona fede in cosa, che per altro sarebbe peccato mortale, NON BISOGNA, CHE NE PARLI; *e particolarmente, se dall' avviso del Confessore non dee seguirne profitto; ma molto travaglio, e scandalo.*

Omitto, ne tædio sim, alios plurimos, tum Dominicanos, tum Franciscanos, tum Jesuitas, tum cujuslibet conditionis, & instituti. Unum tantùm præterire nolo Patrem Suarez, quem cum tota theologica Republica P. Concina magni facit, & bene facit. Is igitur

disp. 32. de Pœnitentia sect. 4. num. 4. ita loquitur.

Tertio, quando Confessor non sperat fructum, vel quia probabiliter, & prudenter timet, pœnitentem non effecturum; vel certè non posse sine gravi incommodo id efficere, de quo admonendus est; potest, & DEBET *tacere, ac pœnitentem in sua bona fide relinquere..... Ratio autem est, quia tunc Confessor nec ratione officii, nec ratione caritatis tenetur admonere pœnitentem. Primum patet, quia tunc pœnitens est benè dispositus, & integrè confessus. Ergo ex vi officii Confessoris absolvi potest. Secundum etiam est manifestum; quia charitas, & correctio fraterna solùm obligat quando est spes fructus. Item in eo casu potius esset admonitio contra charitatem, quia posset afferre magnum incommodum proximo sine ullo fructu.*

Eversionem verò Evangelii, & apostolicæ prædicationis ruinam, quam obtrudit P. Concina, præoccupat ibidem P. Suarez paulo post, afferendo latum discrimen inter apostolicam, & publicam prædicationem, ac privatam admonitionem Confessoris. Quia nempe illa ordinatur ad bonum publicum; ac propterea omittenda non est, etsi non speretur bonum, immo timeatur malum alicujus particularis. At Confessoris admonitio ordinatur ad privatum bonum pœnitentis: quod si non speratur, immo timetur oppositum; admonitio remanet actus omnino inutilis, & otiosus, immo noxius, ad quem nulla lex obligat, ut optimè advertebat Melchior Cano, & Martinus Ledesma perdocti Dominicani. Atque eamdem objectionem sicuti Suarez ita etiam præoccupat Sanchez lib. 2. de Matrimonio disp. 38. num. 19. his verbis.

Doctor publicus sive Concionator tenetur publicè veritatem docere, licèt fructus alicujus privati non speretur, sed scandalum. Quia doctrina ea ad bonum publicum ordinatur: quare propter privatum malum non est intermittenda.

Hi sunt Auctores qui sententiam defendunt, quam P. Concina tam acribus declamationibus insectatur, tam atro-

atrocibus conviciis dehonestat. Quorum etsi non omnes expresſè ad casus particulares descendant, omnes tamen generatim, & universaliter loquuntur; atque implicitè eventa omnia comprehendunt. Nunc dicam, quæ a Lectoribus colligenda velim.

Colligant primò: Utrum P. Concina sit omnino vacuus a studio partium, & æquus, ut tantopere jactat, erga Theologos cujuslibet Instituti. Poterat præfigere propositioni damnandæ octo insignes Dominicanos, atque adeo plures, neque enim omnes adduxi; & tamen præfixit solum Tamburinum, & quidem detruncando eas voces NON INTERROGATO, quæ non levis momenti sunt; si enim Confessarius interrogetur, detegendam ab eo esse veritatem, conveniunt omnes. Poterat Tom. 9. citare laudatos octo Theologos Ordinis sui; & tamen citato solùm Patre Viva, & onerata conviciis ejus sententia, altè exclamavit: O tempora, o mores! Quasi mores unius Patris Vivæ facerent, ut sorderent hæc tempora; & non facerent mores Martini Ledesmæ, mores Melchioris Cano, mores Magistri Bannez, mores Magistri Serra, mores Dominici Soto, mores Petri du Fay, mores Ludovici Lopez, mores Bartolomæi Medinæ. Poterat tandem aliquis ex iis Dominicanis in indicibus legi: & tamen Jesuitæ quidem recensentur; ex iis nemo indicatur.

Colligant secundo, quàm verum sit, quod aliàs dixi, familiarissimum esse Patri Concinæ hoc artificium, vel occultatis omnino aliis Auctoribus, vel cursim, & festinanter nominatis, vel post terga protectis, ita objectare, & ostentare Scriptores Societatis, ut appareant Lectoribus vel unici defensores opinionum, quas appellat laxas, vel saltem primipili.

Colligant tertio, Jesuitas in plurimis sane sententiis, quas P. Concina insectatur, alios habuisse magistros; quod ego quidem ostendere paratissimus sum. In hoc opusculo, ne nimis ab instituto digrediar, tunc solum id præ-

sto, quando hanc mihi dat occasionem sententia aliqua Jesuitarum suæ sinceritati restituenda. Dicet forte P. Concina, sua nihil hoc interesse. Hortabitur, quod re ipsa facit, ut aliquis existat, qui Thomistarum laxitates refutet, & tunc pura undecumque splendebit christiana Theologia. (Ejus verbis usus sum). Verùm si flagrat studio reformandæ Moralis, cur hanc Provinciam alteri relegat; ipse non suscipit? Cur rivulos purgare nititur; de fontibus non laborat? Cur ramos cædit, & insectatur; radices integras atque intactas relinquit?

Colligant quarto, quando convicia & censuras Patris Concinæ contra aliquam opinionem legent, non esse festinanter præcipitandam sententiam. Judicium parumper sustineant, donec illam ab alio aliquo pertractatam videant; & tunc sentiant quod in Domino judicabunt.

CAPUT LXIV.

Restituitur suæ integritati sententia Vivæ.

P. Concina Tom.7. pag.61. *in Catalogo propositionum damnabilium.*

P. *Dominicus Viva in Trutina theologica in hanc propositionem* 37 *num.*7. „ Quòd in hac thesi proscribitur, „ est, posse famulos occultè compensare id quod ipsi „ judicant ex justitia sibi deberi in salarium... Idcirco „ ad occultam hanc compensationem faciendam requi„ ritur judicium Viri docti simul, & periti „.



IN primis P. Concina male confuit in unam propofitionem citando folum numerum 7. duas partes, quæ in P. Viva longiffimè diftant inter fe. Una enim pars habetur numero primo, & altera in fine numeri feptimi. Hoc omiffo: Plura prætermittuntur & refecantur, fine quibus nullo pacto intelligitur vera mens, & genuina fententia Patris Vivæ. Ego illam fincere exponam.

Ejus igitur opinio hæc eft. Ad licitam occultam compenfationem non fufficit PROBABILITAS, non fufficit PROBABILIORITAS, fed requiritur omnino CERTITUDO MORALIS, quòd debeatur ex juftitia falarium majus. Quia poffeffor bonæ fidei, qualis eft Dominus, non poffet privari re poffeffa, donec jus alienum, nempe famulorum, fit MORALITER CERTUM. Jam verò de hac CERTITUDINE MORALI non funt idonei judices ipfi famuli, immo neque quilibet Confeffarius minus doctus & peritus. Et idcirco ad occultam compenfationem faciendam (fuppofitis aliis conditionibus jam notis, quas P. Viva ibi enumerat num.1.) requiritur judicium Viri docti fimul ac periti, qui judicet (quid? hoc enim eft recifum, & occultatum) qui SPECTATIS OMNIBUS JUDICET, MORALITER CERTUM ESSE, QUOD MAJUS SALARIUM DEBEATUR.

Paucis. Sententia Vivæ limpida & fincera hæc eft. Tunc poffunt famuli uti licitè occulta compenfatione, quando fuppofitis cæteris requifitis Vir doctus, peritus, ET PASSIONE DENUDATUS judicaverit, CERTUM MORALITER ESSE, quòd ipfis debeatur ex juftitia majus falarium.

Rogo duo lectores: primùm, ut ipfi judicent, an hæc Vivæ fententia eadem fit, atque hæc trigefimafeptima damnata ab Innoc. XI. „ Famuli & famulæ domefticæ poffunt occultè Heris fuis furripere ad compenfandam operam fuam, quam majorem *judicant* falario, quòd recipiunt „. Se-

Secundum, ut dignentur oculos rursum reflectere ad propositionem oblatam a P. Concina damnationi, & videre, an ex illa intelligatur genuina mens P. Vivæ, quam modo exposui: an intelligatur, Patrem Vivam requirere prædictam CERTITUDINEM MORALEM de majori salario debito ex justitia: an intelligatur Virum illum doctum & peritum de hac determinata re judicare debere; nimirum, utrum verè existat illa MORALIS CERTITUDO? Si hæc intelliguntur, non hisco. Si non intelliguntur, ut videtur mihi certissimum, ergo P. Concina non retulit integrè & sincerè sententiam Vivæ. Quòd vero hæc sit ea, quam exposui, en ejus verba.

Quod in hac thesi proscribitur, est, posse famulos occultè compensare id, quod ipsi judicant ex justitia sibi deberi in salarium, quod certè scandalosum est, & viam aperit innumeris furtis.

Et post hæc dicta num.1. ex quibus P. Concina desumpsit primam partem suæ propositionis, sic habet n.7.

Ratio a priori (falsitatis propositionis damnatæ) *est, quia universim possessor bonæ fidei non tenetur restituere rem possessam, etiam si sit* PROBABILIUS, *nedum si solùm* PROBABILE *sit, quòd ea sit aliena, prævalente jure certo, quod habetur a possessione bonæ fidei, juri incerto alieno, quod oritur ex opinione probabili, aut probabiliori .. . Ergo Heri jure suo retinent illud salarium, quod famuli putant sibi deberi, donec* MORALITER CERTUM *sit, quòd debeatur. Ergo injuriam patiuntur & injustitiam, si per occultam compensationem eo spolientur a famulis judicantibus citra moralem certitudinem illud sibi deberi. Cùm autem hæc* MORALIS CERTITUDO *non possit haberi per hoc, quòd* IPSI FAMULI, *immo etiam per hoc, quòd* CONFESSARII MINUS DOCTI & PERITI *ita judicent, ut ostendimus* (ibi num.6.) IDCIRCO (en verba assuta a P. Concina quibusdam verbis numeri 1.) IDCIRCO *ad occultam hanc compensationem faciendam requiritur judicium Viri docti simul ac periti,*

(quæ

(quæ ſequuntur, & mentem Vivæ manifeſtè oſtendunt, omnia reſecta ſunt) ET PASSIONE DENUDATI, QUI SPECTATIS OMNIBUS JUDICET, MORALITER CERTUM ESSE, QUOD MAJUS SALARIUM DEBEATUR.

Auditis verbis Vivæ poterunt lectores etiam faciliùs judicare, utrum ejus ſententia a P. Concina integrè & ſincerè relata ſit: & utrum in ea, ut jacet in P. Viva, non avulſa a contextu, non mutilata, aliquid ſit damnatione dignum: Nam de hoc poſtremo, ego more meo nihil definio.

CAPUT LXV.

Reſtituitur ſuæ integritati ſententia Cardinalis de Lugo.

P. CONCINA Tom. 7. pag 65. *in Catalogo propoſitionum damnabilium*.

Cardinalis de Lugo Tom. 2. de Juſt. diſput. 26. ſect. 13. n 208.
„ Infertur tertio, neque reddi injuſtum hunc contra-
„ ctum (*mohatræ*) ex natura rei per hoc, quòd vendi-
„ tor ſuam intentionem manifeſtet emptori, dicendo:
„ Ego liberè tibi credito vendo has merces, ſi tamen
„ volueris eas poſtea viliori pretio vendere ad haben-
„ dam pecuniam præſentem, ego paratus ſum ad eas
„ emendas „.



TRuncata eſt ſententia Cardinalis de Lugo, & quidem non mediocri Eminentiſſimi Auctoris damno. Reſecta enim eſt limitatio & admonitio ab ipſo ſtatim adie-

adjecta, quæ opinionem non modo multùm temperant; verùm etiam omnino immutant. Igitur Cardinalis post recitata verba, interjectis puncto solùm & comate, ita pergit.

DUM TAMEN ALIQUOD PACTUM IMPLICITUM SUB HAC MANIFESTATIONE NON INCLUDATUR. *Quòd etiam consequenter concedit Salas illo num.3. Qui tamen* RECTE MONET, CAUTE *in hoc procedendum esse, propter periculum usuræ implicitæ in tali modo loquendi.*

Quæro nunc: Est ne idem sensus, dicere absolutè & simpliciter, manifestationem intentionis redimendi merces non esse injustam: ac dicere, non esse injustam solùm sub hac limitatione, & conditione, DUM TAMEN ALIQUOD PACTUM IMPLICITUM SUB HAC MANIFESTATIONE NON INCLUDATUR? Et præterea monere, cautè esse procedendum propter periculum hujus pacti impliciti? Certissimè non esse eumdem quivis Logicus novit. Primus enim illimitatus est, & absolutus: secundus verò limitatus, & conditionalis. Porro primus sensus, quem exhibent amputatis ceteris verba recitata a P. Concina, non est Cardinalis de Lugo: Sed est tantùm secundus. & quidem adhuc magis temperatus adjuncta illa admonitione. Ergo P. Concina truncatum referendo textum Cardinalis, imposuit ipsi sententiam, quam non docet, & suppressit eam, quam docet.

Non defendo opinionem Cardinalis de Lugo, quemadmodum neque illius Auctoris, etiam ut in ipso jacet, quod repetere sæpiùs juvat, ne P. Concina divertat. Sed propugno Patrem Concinam non referre integrè & sincerè Jesuitarum sententias, & ipsas collocare in maligniori luce, quam mereantur.

CA-

CAPUT LXVI.

Vindicatur ab impoſtura P. Leſſius.

P. Concina Tom.7. pag.66. *in eodem Catalogo propoſitionum damnabilium.*

P. Leonardus Leſſius lib.2. cap.20. dubit.14. Utrum ratione CARENTIÆ pecuniæ, ſeu obligatione non repetendi ante certum tempus aliquid exigi poſſit?..... Num.123.
„ Tertio probatur hæc ſententia: quia ſicut aliis re-
„ bus, & oneribus poteſt aliquod pretium imponi, ita
„ etiam oneri CARENDI ſua pecunia tanto vel tanto
„ tempore. Cùm enim pecunia ſit inſtrumentum ne-
„ gotiandi, & privare ſe inſtrumento ſuæ artis ſit pre-
„ tium æſtimabile, cur non etiam mercatores pote-
„ runt CARENTIÆ pecuniæ pretium aliquod com-
„ muni conſenſu imponere, præſertim ſi ratio boni
„ communis id poſtulet? „

(o)⁂(o)

CErtiſſimè lectores, dum vident nomen Leſſii præfixum tertiæ illi probationi, quæ recenſetur ut damnabilis, putabunt illam eſſe unam ex rationibus quibus Leſſius cofirmet ſententiam ſuam. Atqüi ſciant, illam eſſe tertiam obiectionem adverſariorum, quam affert contra ſe P. Leſſius, & quam ſolidè diſſolvit, poſtquam ex proprio ſenſu ſtabilivit, NIHIL EXIGI POSSE ratione CARENTIÆ pecuniæ, ſive OBLIGATIONIS non repetendi mutuum ante certum tempus. Nec mihi ſed Leſſio credant.

Leſſius igitur loco citato proponit prius ſententiam adverſariorum, & tres eorum rationes, quarum tertia illa eſt, quam ſub nomine Leſſii P. Concina recitavit, & damnationi propoſuit. De his rationibus ita ſcribit.

„ HÆ RATIONES VIDERI POSSINT ALICUI PROBABILES, POTISSIMUM TERTIA „. Tum sic pergit ex propria sententia.

Nihilominus censeo, non esse tam laxas habenas mercatoribus dandas; nec illis concedendum, ut quidquam supra sortem exigant, si illis ex carentia pecuniæ nullum lucrum cessat, nullum periculum impendat, nullum incommodum metuitur. Quia sententia illa videtur nova, nec illam apud Auctores reperio; ac proinde in re morali tanti momenti non facile admittenda. Deinde quia CARENTIA *pecuniæ, &* OBLIGATIO *non repetendi ante aliquod tempus* EST QUID INTRINSECUM *rationi mutui, alioquin mutuum non differret a Precario. Unde si mutuum debet gratis fieri, ut constat ex supradictis*, NIHIL PRO HAC CARENTIA VEL OBLIGATIONE PETENDUM EST. *Ex hoc fundamento elicienda est responsio ad primum, & secundum argumentum*. AD TERTIUM (propositum damnationi sub nomine Lessii) *responderi potest tale pretium imponi a mercatoribus non posse, quia carentia pecuniæ non est pretio æstimabilis, nisi ratione alicujus incommodi vel periculi conjuncti*.

Placet ne hæc sinceritas in referendis sententiis Jesuitarum? Neque dicat hic P. Concina, Lessium saltem exhibere ut probabilem sententiam oppositam. Non, inquam, hoc dicat.

Primùm: Quia Lessius non dicit HÆ RATIONES PROBABILES SUNT: HÆ RATIONES SUNT MIHI PROBABILES: SED VIDERI POSSINT ALICUI PROBABILES. Quòd est concedere illis non veram & solidam probabilitatem; sed solùm speciem aliquam, & fucum probabilitatis, ob quem ALICUI non tam attentè res consideranti apparere possunt probabiles.

Deinde, quia hoc omisso, de quo disputationem habere nolo, semper stat, ipsum nec sincerè nec bona fide repræsentasse lectoribus sententiam Lessii. Siquidem lecto-

ctoribus persuasum reliquit, tertiam obiectionem adversariorum esse unum ex argumentis quibus Lessius confirmet opinionem suam, & Lessius adhærere illi opinioni, quæ ab illa tertia ratione comprobatur.

Quòd si P. Concina scire aveat, quinam absolutè & expresse defendant opinionem proscriptam, quam ipse persuasum reliquit esse Lessii, & quam Lessius efficacissimè impugnat; paratissimus sum, statim doceo.

Petrus de Ledesma Dominicanus Parte 2. summæ Tract.8. capite 33. conclus.4. his verbis *Utrum accipere pretium, quando alicui mutuantur mille ducati* CUM OBLIGATIONE NON REPETENDI ANTE CERTUM SPATIUM TEMPORIS, *sit usura? Respondetur; si hujusmodi obligatio duret longo tempore, potest esse æstimabilis pretio: & ratione illius potest aliquod justum pretium accipi absque ulla usura*. ITA PASSIM THOMISTÆ (& in autographo hispano dicit, TODOS LOS DISCIPULOS DE S. THOMAS) *Ratio est manifesta, quia ista obligatio est pretio æstimabilis.*

Mag. Serra Dominicanus in 2. 2. quæst.78. artic. 2. his verbis: *Dicendum secundò: licitum etiam esse mutuanti aliquid ultra sortem exigere*, SI SE OBLIGET AD NON REPETENDAM SORTEM USQUE AD CERTUM TERMINUM. *Hujus oppositum tenent* LESSIUS *lib.2. cap.20. dubit.14. & alii recentiores*.

Si hæc scripsissent Jesuitæ, quàm alte vociferaretur P. Concina! quàm acriter declamaret! quàm subito proferret propositionem hanc 42. ab Alexandro VII. proscriptam „ Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere SI SE OBLIGET AD NON REPETENDAM SORTEM USQUE AD CERTUM TEMPUS „! Et tamen Lessius, qui, fatente etiam Serra, TENET OPPOSITUM, in catalogum propositionum damnabilium conjicitur. Dominicani, qui expresse propositionem damnatam defenderunt, non nominantur. Egregia verò vacuitas a studio partium! Videsis infra caput 74.

CAPUT LXVII.

Restituitur suæ integritati sententia P. La-Croix.

P. CONCINA Tom.7. pag.67. *in eodem Catalogo*.

P. Claudius La-Croix lib.3. parte 2. de Usura num.854.
„ Sylvius, Serra, aliique apud Mendo in statera disput.6.
„ artic.2. num.58. docuerunt, SEMPER esse periculum
„ sortis, quando datur mutuum, ideoque ratione peri-
„ culi SEMPER posse aliquid exigi. „

(o)*******(o)

QUid cotendit P. Concina præfigendo illi Sententiæ nomen Patris La-Croix? Vel contendit, Patrem La-Croix solùm referre illam opinionem; vel contendit, Patrem La-Croix illam amplecti & defendere, aut saltem non impugnare. Si contendit, Patrem La-Croix solùm referre: quis umquam recensendo propositiones damnabiles, & earum catalogum pertexendo præfigit nomen ejus Auctoris, qui sit merus earum relator? Certissimè lectores statim sibi persuadent, scriptorem præfixum eas defendere, vel ut mitissimè loquar, non rejicere, ut proprio experimento qui legunt recitata verba Patris Concinæ testari possunt. Si verò contendit, Patrem La-Croix eam opinionem defendere, aut saltem non impugnare, ut relinquit lectoribus persuasum; egregiè est calumniatus. Illam enim opinionem P. La-Croix statim rejicit, & post recitata a Patre Concina verba, interjectis puncto tantùm, & virgula, ita pergit.

SED TENENDUM EST OPPOSITUM: *Si enim mutuatarius sit potens solvere, simulque homo industrius, &c.*

& verax, ideoque præsumatur soluturus, nullum ibi est morale periculum. Quamvis autem sit periculum commune, v. g., *quia mutuatarius posset depauperari, posset postea non velle solvere; tamen tale periculum non est sufficiens; uti rectè Pallavicinus de Just. num.128. tale enim periculum compensatur cum periculo cui sors subesset apud mutuantem, posset enim perdi, vel eripi*.

Sanè P. La-Croix non poterat clariùs & validiùs impugnare præfatam opinionem relatam ex Sylvio, & Serra Dominicano. Quare non video, quid tantùm committere in Patrem Concinam potuerit, ut illi opinioni damnabili, quam impugnat, præfigi mereretur. Citentur integri textus, & aliam imbibent opinionem lectores de Auctoribus Societatis.

CAPUT LXVIII.

Restituitur suæ integritati opinio Tamburini.

P. Concina Tom.7. pag.122.

Ad quid tenetur, qui impedit collatorem ne beneficium ecclesiasticum digniori conferat?...... Et primùm eligendum esse digniorem pro certo habeo: cum Concilium Tridentinum id expressè sess.24. cap.1. definierit. „ Eosque „alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, „ nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi „ judicaverint &c. „ *RESPONDET* P. THOMAS TAMBURINUS *lib.8. in Decal. Tract.3. cap.4. §.4. Tridentinum Concilium vel primo videtur per hoc* DIGNIORES *non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum sumpto comparativo pro positivo: vel secundo, locutione minus propria ponit digniores, ut exclu-*

cludat indignos non verò dignos .... Vel tandem tertio loquitur quando fit concursus, & adducit auctoritatem Laurentii Valla asserentis Juniorem & Seniorem accipi pro Juvene & Sene. Hanc Tamburini, & aliorum PROBABILISTARUM *opinionem damnavit Innoc. XI.*

..*.*.*

VAcuitas a studio partium, & bona fides postulabat, ut quemadmodum ex opinione Tamburini affertur illa pars, quæ ipsi invidiam conflat, ita detegeretur alia pars, quæ invidiam multùm imminuere, & temperare poterat. Præsertim cum suppressa hac alia parte repræsentetur Tamburinus absolutè & simpliciter adhærere illi primæ, quod falsissimum est.

Igitur Tamburinus adhibuit quidem illam interpretationem textui Tridentini: & in hoc lapsus est; atque illa interpretatio damnata postea fuit ab Inno. XI. in propositione 47. Sed illam interpretationem dedit, UT MERE PROBABILEM, docendo expressissime ac disertissimè, oppositam interpretationem esse MULTO PROBABILIOREM, & UNICE IN PRAXI CONSULENDAM. En ejus verba loco cit. n.11.

Respondeo secundo ad instantiam numero 8. factam; me INGENUE *fateri, propter hunc Tridentini textum* ESSE MULTO PROBABILIUS, *Episcopatus, & similia majora beneficia curata, de quibus solùm hic loquitur Tridentinum, debere* DIGNIORIBUS *conferri*; NEC IN PRAXI ALITER ESSE CONSULENDUM.

Hoc posito: referre solùm primam partem invidiosam, & occultare hanc aliam: persuadere lectoribus, Tamburinum absolutè & simpliciter amplecti primam interpretationem, cùm secundam interpretationem oppositam Tamburinus reputet MULTO probabiliorem, & UNICE in praxi consulendam, est ne repræsentare INTEGRE & sincere Tamburini opinionem? Lectores sint judices.

Ad

Ad illud, *Hanc Tamburini, & aliorum PROBABILISTARUM opinionem*, quod dictum de more est ad conciliandum odium Probabilismo, & ad persuadendum, ipsum esse hujus quoque laxitatis parentem: respondeo, etiam oppositam sententiam, nempe beneficia, de quibus hic loquitur Tridentinum, sub gravi conferenda esse dignioribus, esse PROBABILISTARUM.

Illam acriter defendunt PROBABILISTA Vasquez opusc. de Beneficiis Cap.2. §.3. dub.1. PROBABILISTA Sanchez lib.2. consiliorum cap.1. dub.2. PROBABILISTA Lessius lib.2. cap.34. dubit.14. PROBABILISTA Castropalaus Tract.13. disp.2. puncto 11. §.2., PROBABILISTA Cardinalis de Lugo Tomo 2. de Iust. disput.35. sect.2., Et alii plurimi. Hæc artificia adversus Probabilismum fortasse sciolis possunt imponere: Doctis, qui noverunt quid sit Probabilismus, non possunt.

CAPUT LXIX.

Restituitur sua sinceritati sententia Cardinalis De Lugo, & Pellizarii.

P. Concina Tom.7. pag.157.

Scorta sive publica, sive occulta tenetur ne restituere pretium receptum ob turpem concubitum a Religioso?...... PELLIZARIUS *in manuali regular. Tract.4. cap.2. sect. 4. quæstione 3.*, *Machadus Tomo 2. lib. 5. p.2. tract.1. Docum.2.*, LUGO *Disp.3. sect.3.* (debuit scribere 7.) *Joannes a Cruce lib.1. de statu Relig. cap.3. dub.1., & alii OPINIONEM NEGANTEM DEFENDUNT... Hæc mihi opinionum PORTENTA apparent, quæ mirum*

rum in modum patefaciunt, quò laxitatis novus opinandi modus pertrahat humanam mentem.



DEfendere opinionem negantem, nisi pervertere velimus omnem vocum significationem, est neganti opinioni adhærere, est illam affirmanti anteponere, est illam vel unicè veram, vel saltem probabiliorem reputare. Jam verò ego sincerè referam quid sentiant Cardinalis de Lugo, & Pellizarius; & utrum eorum mens atque opinio in suo vero adspectu collocetur, an verò adulterinis coloribus depingatur per illa verba PELLIZARIUS & LUGO NEGANTEM OPINIONEM DEFENDUNT, lectoribus judicandum relinquam.

Cardinalis de Lugo post relatam cum suis auctoribus & argumentis sententiam ADFIRMANTEM, restituendum esse a scortis illis pretium receptum a religioso, num.142. ita pergit.

Cæterum licèt hæc pars, (adfirmans) UT DIXI, COMMUNIS, ET PROBABILISSIMA SIT; non tamen puto IMPROBABILEM *contrariam sententiam*.

Tum affert rationes, ob quas NON putat IMPROBABILEM opinionem negantem: & idem præstat Pellizarius, cujus verba non recito; quia fermè syllabatim exscribit doctrinam Cardinalis de Lugo.

Expendant nunc lectores potestatem & vim istarum vocum, DEFENDERE OPINIONEM NEGANTEM; quæ juxta communissimam hominum intelligentiam significant, opinioni neganti adhærere, illam amplecti, illam adfirmanti anteponere, illam vel unicè veram, vel ad minimum probabiliorem putare, hæc, inquam lectores expendant, & utrum defendant opinionem negantem illi, qui, cùm doceant opinionem adfirmantem esse PROBABILISSIMAM, ne PROBABILEM quidem audent vocare negantem, sed temperatissimo loquendi modo vo-

vocant folùm NON IMPROBABILEM, ipfi, ut dixi, fint judices.

Quòd fi hic etiam P. Concina fcire cupiat, quinam tradiderint PORTENTA hæc opinionum, & multò minori cum moderatione docuerint fententiam, quam Cardinalis de Lugo vocavit tantùm NON IMPROBABILEM, paratiffimus fum; ftatim doceo.

Magifter Bannez Dominicanus 2. 2. quæft.62. artic.5. Dubio 5. Conclufione 3. his verbis: *De religiofis autem, qui funt omnino pauperes, aliter arbitrandum eft, quantum ad hujufmodi expenfas fecundum facultatem, quam unufquifque habere præfumitur a fuis Prælatis ad expendendas pecunias in fibi placitis. Neque in hoc peccabit peccato injuftitiæ*, NEC TENEBITUR AD RESTITUTIONEM IPSE, NEQUE MERETRIX, *quæ accepit tale pretium juftum proportionatum cum facultate interpretativa Prælati ad expendendum in rebus fibi placitis in animi fui gratia*.

Ludovicus Lopez Dominicanus de Contractibus lib.2. cap.40. non longe a fine his verbis: *An autem Religiofus pecuniam fibi conceffam a Prælato, ut expendat etiam in fibi placentes ufus, fi ludo perdat, vel donet foeminæ caufa obtinendæ copulæ, an validæ fint iftæ donationes? Diximus autem in noftro Inftructorio parte 2. cap.34.*, AFFIRMATIVAM *Alcozeri in fumma de Ludo; & Metinæ in fua inftructione folio 153. effe probabilem, fcilicet quod talis Datio teneat. Licèt etiam oppofita probabilis* (Lugo dixit effe PROBABILISSIMAM) *quoque reputetur*.

En a quibus magiftris didicerint PORTENTA hæc opinionum Lugo, & Pellizarius. Ifti tamen difcipuli, qui opinionem illam temperarunt, vocando tantùm NON IMPROBABILEM, & oppofitam PROBABILISSIMAM, a P. Concina divexantur. Magiftri, qui longius progreffi funt, ne nominantur quidem. Ægrè perfuadebit P. Concina fuam vacuitatem a ftudio partium, & æquitatem erga Auctores cujuslibet Inftituti.

CAPUT LXX.

Vindicatur a falsa criminatione P. Lessius.

P. CONCINA Tom.7. pag.161.

Verùm P. LESSIUS *non modo S. Augustini doctrinam manifestè deludit, & cavillatur, sed falsam doctrinam etiam* IMPONIT S. THOMÆ *ibidem num.52, ubi hæc scribit*. „ Dico primo: si solùm jus naturæ spectetur, acceptum ob turpem causam, seu propter opus, quòd „ est peccatum, opere impleto, non necessario est „ restituendum, sive illud opus sit contra justitiam, „ sive non. Colligitur ex D. Thoma quæst.32. artic.7. „ Corpore, & quæst.62. art.5. ad 2. UBI DOCET, „ posse retineri id, quod propter opus malum est acceptum, nec distinguit sit ne opus illud contra ju- „ stitiam, an non „. *Attentè legi loca citata*: ET VERBA, QUÆ P. LESSIUS SANCTO DOCTORI TRIBUIT, *non inveni. Porro qua dignum censura sit*, AFFINGERE *pro arbitrio S. Ecclesiæ Doctori* VERBA, *ut in propriam sententiam concedere lectoribus persuasum fiat, judicent æqui rerum arbitri*. Immo, *quod plus, est non modo* VERBA *non reperi, sed neque* DOCTRINAM: *cum utrobique S. Thomas solùm meretricibus retinere pretium turpe concedat, limitibus tamen adjectis*.

§(o)****(o)(****(o)§

DUo crimina, & quidem cum gravissima expostulatione, objiciuntur hic Patri Lessio. Primùm est, quòd Sancto Thomæ AFFINGAT VERBA, quæ in S.

S. Doctore non inveniuntur. Secundum est, quòd Sancto Thomæ IMPONAT DOCTRINAM FALSAM, quæ in S. Doctore item non reperitur. Videamus uter imponat, Lessius ne S. Thomæ, an P. Concina Lessio.

Quòd attinet ad primum: verba Lessii, ut audistis, hæc sunt, UBI DOCET, POSSE RETINERI ID, QUOD PROPTER OPUS MALUM EST ACCEPTUM. Quæ verba attribuit hic S. Thomæ P. Lessius? Si P. Lessius ita loqueretur, UBI S. THOMAS HÆC HABET: UBI SCRIBIT, UBI DICIT, UBI SIC, & similia, tunc certè significaret, sequentia ea verba POSSE RETINERI ID, QUOD PROPTER OPUS MALUM EST ACCEPTUM, esse concepta verba Sancti Thomæ. Cùm vero dicat UBI DOCET, quomodo probat P. Concina Lessium significare voluisse, sequentia illa verba esse concepta verba Sancti Doctoris? Certè ille modus loquendi UBI DOCET, in sua naturali & obvia significatione indicat, ea, quæ sequuntur, non esse VERBA, sed sensum & doctrinam Auctoris: neque alià phrasi utimur, vel uti possumus, quando volumus significare sensum & doctrinam. Ergo primum crimen, propter quod æqui rerum arbitri judicare debent QUA CENSURA dignus sit P. Lessius, a Patre Concina confictum est non modo gratis & sine ullo fundamento, sed contra naturalem significationem verborum, quibus utitur P. Lessius.

Quod attinet ad secundum; afferam prius verba Sancti Doctoris; & deinde videbimus, utrum probabilius sit Sanctum Thomam loqui universaliter & sine distinctione, ut dixit P. Lessius, an concedere solùm meretricibus retinere pretium turpe, ut contendit P. Concina.

Verba S. Doctoris in primo loco citato a Lessio hæc sunt: *Tertio modo est* ALIQUID ILLICITE ACQUISITUM, *non quidem quia ipsa acquisitio sit illicita; sed quia id, ex quo acquiritur, est illicitum:* SICUT *patet de eo quod mulier acquirit per meretricium: & hoc pro-*

 priè

priè vocatur turpe lucrum. Quòd enim mulier meretricium exerceat, turpiter agit, & contra legem Dei. Sed in eo quod accipit non injustè agit, nec contra legem. Unde quod sic illicitè acquisitum est, retineri potest.

Verba in secundo loco hæc sunt. *Alio modo aliquis illicite dat, quia propter* REM ILLICITAM *dat, licèt ipsa datio non sit illicita:* SICUT *cum quis dat meretrici propter fornicationem. Unde & mulier potest sibi retinere, quod ei datum est: sed si superfluè ad fraudem vel dolum extorsisset, tenetur eidem restituere.*

His positis, ita argumentor. S. Thomas initio utriusque textus loquitur indefinitè de ACQUISITIS illo tertio modo, EST ALIQUID ILLICITE ACQUISITUM, DAT PROPTER REM ILLICITAM, & quod est sic illicitè acquisitum docet retineri posse. Jam sic. Tota ratio coarctandi doctrinam Angelici ad solas meretrices esset, quia solas meretrices affert in exemplum: IN EXEMPLUM, inquam, ut patet ex illa particula SICUT. Atqui hæc ratio nulla est: passim enim fit, ut post traditam doctrinam aliquam indefinitam, afferamus claritatis gratia exemplum aliquod particulare, quin tamen ad illud solùm doctrinam coarctemus: immo eo ipso, quòd aliquid afferimus IN EXEMPLUM, satis clarè indicamus, nos non loqui de illo tantùm, sed de pluribus aliis aliqua ratione illi similibus. Ergo sine ullo fundamento P. Concina D. Thomæ doctrinam coarctat ad solas meretrices, & omnino gratis imponit hoc secundum crimen P. Lessio.

Doctrinam Lessii, posse scilicet retineri omne turpe lucrum, seclusa irritatione legum, sive acquisitum per meretricium, sive per aliud, ut omittam fermè omnes Theologos, defendunt duo perinsignes & doctissimi Dominicani.

Cajetanus in commentario secundi citati loci D. Thomæ, ubi sic: *Non refert in proposito, an propter fornicationem, an propter* ADULTERIUM, *aut aliam speciem* lu-

luxuriæ detur. ET SIMILITER EST DE ALIIS MALIS SERVITIIS.

Et S. Antoninus parte 2. titulo 2. cap.5. ubi sic. *De illicitis ergo tertio isto modo secundùm* THOMAM, *&* *Raymundum, potest dari eleemosyna, & potest etiam retineri, nisi superfluum per fraudem & dolum mulier extorsisset, quia illud est restituendum. Et ad hoc pertinent* LUCRA FACTA EX HISTRIONATU ILLICITO, EX DUELLO...... EX ARTE MATHEMATICA, SEU DIVINATORIA.

ET paulo superiùs explicando, quænam sint illicitè acquisita tertio modo, quæ SECUNDUM THOMAM retineri possunt, dixerat: *Ut in meretricio*, ET HUJUSMODI.

CAPUT LXXI.

Vindicatur ab impostura Cardinalis De Lugo.

P. CONCINA Tom.7. pag.221.

Quando adultera duos admittit eodem tempore, si ignoretur cujusnam proles sit, quisnam istorum COMPENSATIONI *obnoxius est? Resp.* UTRUMQUE LIBERANT A RESTITUTIONIS ONERE LUGO, *Lopez, Trullenchus, Sanchez, Sotus, & alii, quos citant, & sequuntur Salmaticenses...... Hanc opinionem propugnat quoque Cardinalis Gotti....... Recensita sententia falsa & improbabilis mihi est.*

CA-

§****§

HIc habemus evidentem imposturam contra Cardinalem de Lugo, quæ facilè detegitur & propulsatur. Duplex potest esse quæstio, quod attinet ad duos illos adulteros. Prima: Uter eorum teneatur ad ALENDAM prolem dubiam. Secunda; Uter eorum teneatur ad RESTITUTIONEM, ET COMPENSATIONEM pro damno illato Marito, & Filiis legitimis.

Quod attinet ad primam: Cardinalis de Lugo non liberat quidem illos adulteros ab obligatione ALENDI prolem: propendet tamen ad illos liberandos.

Quod attinet ad secundam, multo minus LIBERAT UTRUMQUE AB ONERE RESTITUTIONIS, ut imponit Pater Concina: sed potius admittit in utroque obligationem restituendi, & compensandi, validissimoque argumento a paritate petito eam comprobat. Audiamus ipsum Tomo 1. de Just. disput.13. sect.2. Ubi postquam retulit Sententiam adfirmantem præfatas obligationes, & Sententiam negantem, earumque fundamenta, ita concludit num.24.

Hæc sunt, quæ pro utraque parte afferri possunt. Ego quidem in secundam sententiam (negantem) *propendeo, quod attinet ad obligationem* ALENDI *prolem illam dubiam; quia argumenta adducta illam probabiliter suadere videntur. Cum prima tamen sententia admitterem* OBLIGATIONEM RESTITUENDI *marito, & filiis legitimis saltem quoad partem pro damno illis illato ex prole adulterina. Quia, ut nunc dicebam in exemplo sagittæ projectæ, singuli sua actione injusta fuerunt in causa, ne certus auctor damni agnosceretur. Et per consequens saltem quoad partem videntur ex injusta actione* RESTITUERE DEBERE. *Singuli enim certam injuriam intulerunt, & damnum aliquod, nempe vel prolem illegitimam, vel incertitudinem auctoris, qui solvere teneretur ea damna.*

Pro-

Propulſet longius P. Concina rancidulam cantionem: vel ſi ab aliis deceptus eſt, COLLIGAT NECESSITATEM LEGENDI AUCTORES IN FONTE.

CAPUT LXXII.

Reſtituitur ſuæ ſinceritati ſententia Valentiæ.

P. Concina Tom.7. pag.175.

P. Leſſius loco citato (lib.2. cap.14. n.64.) *præter* VALENTIAM, *Solonem, Dianam, & plures alios, hanc propugnat opinionem, quòd nempe* JUDEX PECUNIAM ACCIPERE JURE VALEAT *pro ferenda ſententia juxta unam opinionem probabilem, potius quàm juxta aliam.*



DOceat P. Concina, ſi poteſt, ubi Valentia propugnet præfatam opinionem. Propugnat ille quidem, poſſe Judicem, quando opiniones ſunt æquè probabiles, judicare propter amicum ſecundum illam, quæ amico magis favet: ſed nuſquam propugnat, POSSE JUDICEM ACCIPERE PECUNIAM, ut ferat in eo evento hanc Sententiam potius quàm aliam. En ejus verba in 2. 2. Diſput.5. quæſt.7. puncto 4.

Dico 5. Si Judex reputaret, utramque opinionem æquè eſſe probabilem, licitè poteſt propter amicum ſecundum illam judicare, quæ amico magis favet.

Et ne verbum quidem habet uſquam de acceptione pecuniæ, vel P. Concina, ut dixi, doceat Ubi. At ab aliis citantibus Valentiam deceptus eſt. Reſpondeo primo.

mo. COLLIGAT NECESSITATEM LEGENDI AUCTORES IN FONTE. Respondeo secundo. Non ita se gerit cum suis Dominicanis. Sed si legit, eos citari pro invidiosa aliqua sententia statim currit ad consulendos eos in fonte, clamat, esse illis impositum; eosque defendit etiam quando non potest, ut non semel vidimus. Si vacuus est a studio partium, si æquus ergа Auctores cujuslibet Instituti, cur non præstat idem officium Jesuitis, ut eos in fonte legat, antequam illis affingat odiosas opiniones & ab Ecclesia damnatas?

Quamquam verò defendo Valentiam ab impostura, non tamen defendo in Sententia, quam reipsa docuit. Scio enim quid Judici faciendum sit, quando pro litigantibus sunt rationes æquè probabiles. Solùm ut aperiam latiorem campum æquissimo zelo Patris Concinæ, indicabo, quinam docuerint opinionem Valentiæ, quos ipse non nominavit.

Bartholomæus Medina Dominicanus 1. 2. quæst. 19 artic.6. Conclus.2. his verbis *Ex hac conclusione sequitur quòd liceat Judici aliquando pronunciare Sententiam secundùm unam opinionem, & aliquando secundùm oppositam, quando in opinionibus est æqualis probabilitas.*

Petrus de Ledesma Dominicanus 2. p. Summæ Tract. 8. cap.22. post Conclusionem undecimam, difficultate 1. his verbis: *Dubium primum. Utrum quando sunt duæ opiniones Juris æquè probabiles Judex possit alterutram sequi?...... Respondetur, in tali casu* CERTISSIMUM ESSE, *quòd liceat Judici alterutram opinionem æquè probabilem sequi*. ITA OMNES DOCTORES.

Dominicus Soto Dominicanus, (quamquam cautius, & mitiùs) De Justitia lib.3. quæst.6. a.5. in fine his verbis. *Secunda propositio sit. Ubi pariles esse omnino contigerit opiniones, non est apertum scelus* (judicem) *nunc unam, nunc alteram opinionem amplecti. Vix tamen carere potest scandalo.*

Vin etiam audire, quinam docuerint sententiam pejo-

jorem, nimirum posse judicem in judicando amplecti opinionem probabilem in conspectu probabilioris, quod damnatum est ab Innoc. XI. in 2. propositione? Statim dicam.

Idem Bartholomæus Medina loco supra citato in responsione ad ultimum argumentum contra ultimam Conclusionem, his verbis: *Quod autem hactenus docuimus, hoc est, quòd quando sunt duæ opiniones in jure altera probabilis, altera verò probabilior, licitum est Judici* PROBABILEM *amplecti*.

Idem Petrus de Ledesma loco citato his verbis. *Dubium secundum. Utrum quando inter duas opiniones juris altera est* PROBABILIOR, *judex possit sequi* SOLUM PROBABILEM *relicta probabiliori?* ...... *Respondetur, esse probabilius, quòd stando in jure divino, & naturali liceat Judici sequi opinionem probabilem relicta probabiliori. Hanc sententiam docet M. Medina 1. 2. quæst.19 artic.6. quæstiuncula ultima ad ultimum, Orellana, & plures alii,* PRÆSERTIM THOMISTÆ.

P. Concina in loco quem versamus proponit hanc festivam quæstionem, UTRUM PROBABILISMUS SIT MATERIA VENDITIONIS? Et hanc suam festivitatem tuetur exemplo Tamburini, qui præfixit suæ quæstioni hunc titulum VENDITIO SENTENTIÆ PROBABILIS. Sed qui norunt, quid sit Probabilismus, noscunt etiam quàm latum intercedat discrimen inter serium titulum Tamburini, & festivam quæstionem Patris Concinæ. Quod si velit P. Concina, Probabilismum pretiosam esse mercem, & venalem, ego modò satis apertè emptoribus indicavi, apud quos copiose prostet merx hujusmodi.

CAPUT LXXIII.

Restituitur suæ sinceritati sententia Molinæ, Lessii, Rebelli, & de Lugo.

P. CONCINA Tom.7. pag.281.

PECCANT *Monachi, & Clerici, si propriis manibus negotiationi pecunias exponant*. SECUS, *si has pecunias dent mercatoribus, qui propriis eas immisceant, & negotientur, & lucra cum Clericis dividenda assequantur*. ITA DOCENT *Molina tom. 2. tract. 2 disp. 342. Lessius lib.2. cap.21. num.26.* (debuit dicere *6.*) *Rebellus lib.9. quæst.ult. sect.2. Lugo disp.26. sect.3. n.36......* DISTINCTIUNCULA *invecta* PER SE IPSOS, ET PER ALIOS, *arbitrarium commentum est ad legem eludendam; quodque cum legis spiritu hostiliter pugnat*.

NON ITA DOCENT; sed minus sincerè refertur eorum sententia, & depingitur invidiosior, quàm sit. Ratio est. Quia ille modus loquendi NON PECCANT indefinitus, & illimitatus, significat, eos Clericos immunes esse ab omni prorsus peccato; & ita doceri a laudatis Auctoribus. Porro hoc est falsissimum. Laudati enim Auctores etsi excusent eos Clericos A PECCATO MORTALI, omnes tamen eos accusant alicujus peccati, nisi adsit justa causa exercendi illam negotiationem PER ALIOS; Quod productis eorum verbis manifestum fiet.

Molina loc. cit. *Ego quamvis non existimem culpam* LETHALEM *esse, per alios negotiari*: ALIQUID TAMEN FŒDITATIS, ATQUE INDECENTIÆ IN EA NE-

NEGOTIATIONE INTERVENIRE ARBITROR RATIONE STATUS, *quando circumstantia non adesset, quæ illam excusaret. Quocirca* IMPROBANDAM, *quantum est ex se*, ILLAM ARBITROR.

Lessius loc. cit. *Quarto* (adverte) *non esse peccatum, si Clerici, vel Religiosi per alios negotientur, qui totam industriam præstent; ut si pecuniam in societate mercatorum depositam habeant; quia tunc cessat ratio prohibitionis, & quod solum prohibitum est ne* PER SE *negotientur, ut probat Medina supra*. VIDETUR TAMEN PARUM DECORUM STATUI ECCLESIASTICO; UNDE NON PUTAREM FACIENDUM NISI JUSTA ALIQUA CAUSA EXCUSET.

Rebellus loc. cit. *Non peccabunt tamen* MORTALITER *Religiosi, vel Clerici, etiam in Sacris constituti, si negotiationem sibi prohibitam non per se, sed per alios exercent*.

Card. de Lugo loc. cit. *Ego etiam* EX VI JURIS POSITIVI *concedo non esse culpam venialem; quia leges adductæ, ut bene ponderat Molina loc. cit. videntur solùm loqui de negotiante per se ipsum; non de illo, qui totam curam alteri relinquit; & ipse nullo modo se ingerit. Si ergo culpa esse potest; hæc erit* PROPTER INDECENTIAM CONTRA LEGEM NATURALEM, & CONTRA REVERENTIAM IPSIUS STATUS. *Quæ culpa aliquando poterit esse* MORTALIS *ratione magni scandali, aliquando* VENIALIS *solùm, ratione scandali levis, vel aliqualis distractionis, & nimiæ applicationis, quam secum affert illa negotiatio mediata: aliquando* NULLA ERIT CULPA, QUANDO JUSTA SIT ID CAUSA FACIENDI. *Et ideo ipse etiam Lessius, & alii* CONSULUNT, NE ID FIAT SINE JUSTA ALIQUA CAUSA, QUIA PARUM DECORUM VIDETUR.

Cur P. Concina selegit, & protulit quidquid in his Auctoribus odiosum est: omne verò temperamentum suppressit? Religiosa sinceritas postulabat, ut diceret, lau-

laudatos Auctores liberare eos Clericos a PECCATO MORTALI, non etiam a VENIALI; & omnes improbare, saltem ex jure naturæ, illam mediatam negotiationem. Quæ dixi, non ut defendam eorum Auctorum opinionem, cum toto etiam temperamento ab ipsis adjecto. Novi enim inter alia sapientissimam Constitutionem Benedicti XIV. quæ incipit *Apostolicæ servitutis*. Sed ut ostendam, Patrem Concina modo plus, modo minus deficere a bona fide in referendis Jesuitarum sententiis.

Quod si item hìc P. Concina scire cupiat, quinam defendant mediatam illam negotiationem sine ullo temperamento; & adhibeant DISTINCTIUNCULAM cum spiritu legis hostiliter pugnantem; isti sunt.

Joannes de Tabia Dominicanus in summa vulgo *Tabiena*, V. *Emptio*, quæst.7. his verbis. *Utrum Clerici, vel Monaci possint* PER ALIOS *exercere negotiationem*; *ut puta dando pecuniam mercatori in justo exercitio, de quo fui sæpe interrogatus. Videtur*, QUOD SIC. *Tum quia non reperitur prohibitum nisi* IN PROPRIA PERSONA: *Tum quia in dicto cap. Ne cler: vel Mo: permittitur justa negotiatio: Tum quia ratio, quòd Clericis prohibeatur, est, ut vacent Divinis; sed hìc deficit*.

Bartholomæus Fumus Dominicanus in summa vulgo *Armilla*, V. *Emptio*, num. 26. his verbis: PER ALIOS *autem videtur, quod possint exercere negotiationem dando pecuniam mercatori, quia cessat ratio prohibitionis; quia non impediuntur hoc modo vacare Divinis; dummodò lucrum ordinetur ad honestum finem, & sine fraude; quia sic nulli liceret*.

Rogo Lectores, ut commiserationem aliquam adhibeant Jesuitis, si hos Magistros secuti sunt: præsertim cum Magistrorum sententiam discipuli temperaverint.

CA-

CAPUT LXXIV.

Vindicatur ab evidenti impostura Matthæus Moya, sive Amadæus Guimenius.

P. Concina Tom. 7. pag. 373.

Quod Caramuel indefinitè asserit, Interpretes S. Thomæ in 2. 2. quæst. 78. defendere ut probabilem præfatam opinionem (scilicet, licitum esse exigere aliquid ultra sortem pro OBLIGATIONE non repetendi mutuum ante certum tempus) MANIFESTA CALUMNIA EST, *quam transcripsit* MATTHÆUS MOYA, SIVE AMADÆUS GUIMENIUS. *Docuerint ne aliqui Dominicani hunc errorem nec affirmo, nec nego, quia non vacat omnes expendere. Si illum docuerunt, non secus in istis, quàm in aliis de more improbo. Cur quemadmodum in Dominicanos, ita & in externos Casuistas criticem tuam non coerces? Jam pluries dixi, me laxas opiniones refellere illorum Auctorum, qui* COMMUNITER OBVII SUNT, ET OMNIUM FERE MANIBUS TERUNTUR. *Illi, quibus hoc displicet, Dominicanorum laxas opiniones refutent. Et sic purgata a laxis opinionibus omnino splendebit Theologia christiana. Interim legesis Vincentii Baronii apologiam in Manuductione ad Theologiam moralem part. 2. disp. 1. sect. 2. §. 3.* IMPOSTURÆ *dumtaxat arguo Caramuelem, &* GUIMENIUM, *quod* ABSOLUTE' ASSERANT; *Interpretes S. Thomæ hanc laxissimam opinionem probabilem reputasse. Apertè enim hoc falsum est; cùm non paucos ego legerim, qui de hac quæstione nec verbum faciant.*

Et

*** §§§ *** §§§ ***

ET ego EVIDENTIS IMPOSTURÆ arguo P. Concinam, quod hoc de Guimenio ſcribat: Quod enim dicit Guimenius non MANIFESTA CALUMNIA, non IMPOSTURA, ſed patentiſſima, atque evidentiſſima VERITAS EST. Oſtendo.

Guimenius non ASSERIT ABSOLUTE, quemadmodum calumniatur P. Concina, Interpretes S. Thomæ hanc laxiſſimam opinionem probabilem reputaſſe. Sed refert narrativè, Patrem Ledeſmam Dominicanum dicere, eam opinionem communem eſſe inter diſcipulos S. Thomæ. En verba Guimenii Tract. de Uſuris Propoſit. 1. num. 5.

Hanc ſententiam eſſe communem inter diſcipulos D. Thomæ, AIT LEDESMA SUPRA.

Jam verò videamus, Utrum Guimenius calumniatus ſit, an rem veriſſimam dixerit. Ideſt videamus Utrum Ledeſma reipſa ſcribat, eam ſententiam eſſe communem inter diſcipulos S. Thomæ. Superiori Capite 66. citavi latinam verſionem P. Ladeſou Dominicani, citabo nunc autographum hiſpanum: in quo ſic habet Ledeſma Part. 2. tract. 8. cap. 33. concl. 4.

La ſegunda difficultad es, quando uno preſta mil Ducados con obligacion de no los boluer a pedir en tanto tiempo, o por algun eſpacio di tiempo, ſi ſerà uſura levar precio? ...... A eſta difficultad ſe ha de reſponder, que ſi la obligacion de no lo boluer a pedir es por mucho tiempo, ſe puede muy bien eſtimar con precio, y por razon de aquella obligacion ſe puede muy bien llevar el juſto precio ſin uſura ninguna. ESTO ENSENNAN TODOS LOS DISCIPULOS DE SANCTO THOMAS. *La razon eſta clara, porque la tal obligacion es eſtimable con precio.*

AIT ne Ledeſma, eam ſententiam eſſe communem inter DISCIPULOS S. THOMÆ? Guimenius, qui non aliud dixit, niſi Ledeſmam id dicere, ſcripſit ne patentiſſi-

tissimam, atque evidentissimam veritatem? Uter igitur est IMPOSTOR, Guimenius, an P. Concina?

Hactenus quod attenet ad imposturam Guimenio affictam; nunc ad alia quædam.

Quod ait P Concina se nec affirmare, nec negare, docuerint ne aliqui Dominicani præfatum errorem; non satis capio suam hanc sive ignorationem, sive dubitationem. Legit sine dubio Guimenium, siquidem adeo intrepidè illum arguit imposturæ. Porro Guimenius in eo ipsissimo loco affert verba Ledesmæ, & Serræ, quibus conceptissimè defendunt illum errorem. Hæc Patri Concinæ ignota esse non potuerunt: & hæc satis esse non poterant, ut saltem de his duobus Dominicanis id affirmaret.

Quod ait, se non coercere suam Criticen in Casuistas externos, quemadmodum coercet in suos Dominicanos, id quidem verissimum est: sed non video, qua ratione ingenua hæc confessio componi possit cum ea vacuitate a studio partium, & æquitate erga Auctores cujuslibet Instituti, quàm pluries alibi tantopere jactat.

Ad illam excusationem, quam prolixiùs repetit Tomo 9. pag. XXIX. his verbis: *Aliàs dixi, & repetendum sæpius est, me ex illis Casuistis potissimum opiniones excerpere, qui* COMMUNITER OMNIUM MANIBUS TERUNTUR, *cujuscumque sint Instituti. Fateor alios Casuistas easdem non raro docere opiniones: sed cum* IN BIBLIOTHECIS ISTI JACEANT ABSCONDITI, *idcirco eorumdem non memini. Deum testor, me non excerpere laxas opiniones ex hoc aut illo Casuista, quia est hujus, aut illius Instituti; sed quia* CONFESSARII COMMUNITER TALIBUS CASUISTIS UTUNTUR. *Istius veritatis testes sunt libri mei, in quibus* NON MINUS *Dominicanorum occasione data, opiniones refellere pro imbecillitate mea studui;* QUAM *cujusvis alterius Instituti Theologorum. Immanis, & apertissima calumnia est, quam nonnemo evulgat ad invidiam odiumque mihi conflandum;*

eò

eò scilicet vota mea pertinere, ut hujus aut illius Instituti Casuistas vellicem, & lectionem dissuadeam.

Ad istas, inquam, excusationes, quæro: Teruntur ne omnium Confessariorum manibus octodecim Tomi in Sacram Scripturam Cornelii a Lapide? Teruntur ne omnium Confessariorum manibus ingentia, & spissa volumina Gregorii de Valentia? Teruntur ne omnium Confessariorum manibus tam multi Tomi Theologiæ P. Arriaga? Teruntur ne omnium Confessariorum manibus tam multa volumina P. Suarez, tam multa P. Vasquez, tam multa P. Molina, & sic de reliquis? Teritur ne omnium Confessariorum manibus P. Amicus? Teruntur ne Dicastillus, Fagundez, Reginaldus, Rebellus, Baunyus, Conink; &, ne tædio afficiam, alii multi, qui communissimè Confessariis, & Parochis ne de nomine quidem noti sunt? Ecquis Confessarius, vel Parochus tempus impendit in ejusmodi innumeris, atque immanibus voluminibus volutandis? Jacent in BIBLIOTHECIS ABSCONDITI libri isti, sicuti jacent Auctores Dominicani. Et tamen ex iis omnibus P. Concina opiniones excerpsit, quas carpendas putavit; seu verius, a Litteris Provincialibus, a Theologia morali Jesuitarum, ab Henrico a S. Ignatio, a Sinnichio, aliisque Societatis osoribus jamdiu excerptas, & collectas in hanc suam Theologiam acrioribus salsamentis recoctas transportavit.

Quod ait, libros suos testes esse, se NON MINUS Dominicanorum opiniones, QUAM CŒTERORUM, data occasione, refellere: ejus libri mihi testantur oppositum. Posset enim occasione refellendi sententias Jesuitarum, refellere ferme semper Dominicanos, qui easdem propugnarunt, ut pluries palam feci, & facturus sum. Et tamen nunquam, vel ferme numquam id præstat. Sed suos, vel omnino occultat, vel post terga Jesuitarum protegit, vel mitissimè cum ipsis agit. Præterire silentio nolo, præter dicta, & dicenda, exemplum quod nunc succurrit. Natalis ab Alexandro acerrimus Antiprobabili-

bilista lib.2. de Sacram. Pœnit. art.7. Regula 20. docet: Justum habentem sola venialia accedere posse ad Confessionem sine contritione requisita ad Sacramentum, quin peccet lethaliter; & tunc Sacramentum illi Justo nec profuturum esse, nec obfuturum. Si hanc sententiam è purissimis Antiprobabilistis fontibus manantem Jesuita aliquis divulgasset, P. Concina declamando latera disrupisset. Statim eam appellasset laxam, laxissimam, scandali plenam, horridam, cum scriptura, Patribus, Concilio Tridentino hostiliter pugnantem. Audite tamen quàm delicatè, quàm molliter Tom. 9. pag. 724. cum Amico agat. *Sententia, inquit, Patris Natalis mihi non probatur.*

Demum allatam excusationem P. Concina didicit a Wendrochio, acerrimo illo Societatis osore, qui Litteras Provinciales latinas fecit. Montaltius, ut solis Jesuitis, quibus ob Jansenismum suum infensissimus erat, incommodaret; iisque solis, quod & obtinuit, laxitatis nota adhæresceret; ex Auctoribus tantùm Societatis propositiones excerpsit, quas irrideret potius quam refutaret. Questi sunt etiam tum Jesuitæ, quòd suam Criticen in ceteros quoque Casuistas non exerceret; sibique solis ea conflaretur invidia, quæ dividenda in plurimos, & tribuenda foret. Montaltium contra hanc querelam ita excusavit Wendrochius in notis præambulis ad quintam Epistolam Provincialem Nota 3.

Queruntur, inquit, deinde sibi tribui, quod ab aliis ipsi acceperint. Respondetur .... Alii Scriptores fere sibi peccant, aut certe non multis. Jesuitæ toti Ecclesiæ peccant, quam ubique suis novitatibus inficiunt. LATEBANT HÆC DOGMATA IN BIBLIOTHECARUM ANGULIS, *paucis nota, paucis nocebant. At ipsa Jesuitæ super tecta prædicarunt, in aulas Regum, in familias privatorum, in curias Magistratuum invexerunt.*

Conferant, quæso, Lectores ejusmodi excusationes inter se, & videbunt, non esse multum absimiles.

Quod demum P. Concina hortatur illos, quibus ejus ratio scribendi displicet, ut opiniones Dominicanorum refutent; præterquamquod, quid illi operi eventurum esset, nec satis scio, nec si sciam, dicere ausim; repeto, quod aliàs dixi. Si ardet zelo reformandæ moralis, cur hoc negotium aliis mandat; non agit ipse per se? Ego tamen non capio hujusmodi antilogias. Hic ingenuè fatetur, se coercere criticen in suos Dominicanos, & onus refellendi eorum opiniones imponit aliis. Deinde alibi testes invocat libros suos, se NON MINUS Dominicanorum, QUAM ceterorum sententias refutare. Componat hæc qui potest.

CAPUT LXXV.

Vindicantur ab evidenti impostura Valentia, & Reginaldus.

P. CONCINA Tom. 7. pag. 437.

VALENTIA..... REGINALDUS ..... *aliique* PROBABILISTÆ *defendunt, sat esse, ut mutuator destinaverit pecuniam negotiationi*, LICET OB DEFECTUM OCCASIONUM ACTU, AUT PROXIME' PRÆSENTIUM PECUNIAM NON EXPONAT. *Quæ opinio falsa est, & usuras fere omnes de mundo aufert.*

UTrum alii PROBABILISTÆ id defendant, nunc non inquiro. Ut verò P. Concina videat, Probabilismum nullam habere cognationem cum sententiis, quas ipse reprobat; atque hoc suum artificium apud doctos inane esse: atque ut una defendam ab evidenti impostu-

ra accusatos Auctores; Dico, PROBABILISTAM Valentiam, PROBABILISTAM Reginaldum non modo id non defendere; sed acriter, & expressè tueri opinionem contradicentem. Uterque enim, ut mutuator aliquid possit exigere ratione lucri cessantis, expressè postulat, ut occasiones exponendi pecuniam, quam mutuatur, sint PROXIME', vel ACTU præsentes, & expressè docet, non sat esse si sint REMOTÆ.

En verba Valentiæ Tom.3. disp.5. de Just. quæst.20. Punct.2. §.5. *Hic advertendum est diligenter, nos hic supponere, quod vere lucrum cesset propter contractum cum altero transactum. Id autem continget, si existant hæ quatuor conditiones. Prima, ut pecunia vel* ACTU *fuerit exposita negotiationi, vel certe negotiationi destinata, &* JAM *ei exponenda, & quidem illa eadem, quæ alteri creditur aut mutuatur.* NON ENIM SATIS EST, *ut potuerit exponi. Nam pecunia cum hac potentia lucrandi* REMOTA *non plus valet, quàm pecunia absolutè secundum se ......* DEBET *ergo esse lucrum* IN POTENTIA PROXIMA, *ut de eo pactum fieri possit, sicut est dictum.*

En verba Reginaldi volumine 2. lib.23. num. 84. *Primum (documentum) est. Ad hoc ut lucrum revera cessare censeatur, opus esse in primis, ut pecunia, aut quodvis aliud, quod mutuo datur, sit aliquid ita deputatum negotiationi, ut nisi mutuum intervenisset, negotiatum* DE FACTO *esset; sicque cessationis a negotiatione, & amissionis lucri ex ea proventuri mutuum causa fuerit* PROPINQUA. *Ut contingit cum mercator* JAM HABEBAT PRÆ MANIBUS *tales merces emendas: ex quibus verosimiliter lucratus fuisset, si illas emisset ex pecunia mutuata: aut cùm Nobilis, vel alius homo dives propter mutuationem impeditus est, ne prædium* TUNC *venale, vel castrum, vel censualem reditum emeret, contra quam planè statuerat, & poterat* DE PRÆSENTI. *Cujus documenti ratio est, quòd quando mutuum causa est* TANTUM REMOTA *amissionis lucri; in re, quæ mu-*

tuo datur , non inest ille major valor , quem supra diximus , sed solùm potentia illa REMOTA *ad lucrandum; propter quam supra etiam diximus , pecuniam non valere aliquid plus , quàm de se valebat .*

Et paulo post in eorum numero , qui nequeunt a mutuatario exigere lucrum cessans , collocat (sunt ejus verba) *Mercatorem , qui habet pecuniam expectans occasionem emendi merces , nec* DE PROPINQUO *empturus est .*

Nihilominus, si audiamus Patrem Concinam , VALENTIA , & REGINALDUS defendunt , sat esse si mutuato destinaverit pecuniam negotiationi ; nec requirunt , ut occasiones sint ACTU , vel PROXIME præsentes. Ego credo hos Auctores , cæteroquin non indignissimos , qui legantur , quantum ad Patrem Concinam , latuisse semper absconditos IN BIBLIOTHECARUM ANGULIS . Credo tamen , communissimè latere quantum etiam ad omnes Confessarios.

CAPUT LXXVI.

Defenditur ab impostura P. Lessius.

P. Concina Tom. 7. pag. 509.

P. *Lessius non defensitat contractum Mohatra* CUM PACTO PRÆVIO . *Non? Propugnat contractum , quem Hispani vocant* Baratas , & Mohatras , QUEM POSTEA DAMNAVIT ECCLESIA . *Quid plus exigis? Verum ne quis suspicetur , invidiam conflatam esse Patri Lessio , rescribo quæ loco citato immediatè subiicit* ,,
,, Adverte tamen hunc modum contrahendi sæpe non
,, carere culpa in mercatore , qui EX COMPOSITO
,, ita vendit , ut pretio infimo redimat , &c.

Tum pergit referre totum textum Lessii, quem ego , ne bis rescribam, paulo infra dabo . Non



NON defensitat P. Lessius contractum Mohatra, CUM PACTO PRÆVIO. NON: ut ego ostendam.

Præmitto, propositionem 40. proscriptam ab Innoc. XI. hanc esse. Contractus Mohatra licitus est etiam respectu ejusdem personæ, & CUM CONTRACTU RETROVENDITIONIS PRÆVIE' INITO, cum intentione lucri.

Hoc præmisso; summa fide rescribam omnia verba Lessii: & Lectores judicabunt, utrum in illis reperiatur contractus in ea propositione damnatus.

Lessius igitur lib.2. capite 20. dubit. 16. ita incipit. *Utrum venditiones, & emptiones reciprocæ ejusdem rei diverso pretio, quas Hispani vocant BARATAS, & MOHATRAS sint licitæ? Exemplum sit. Petit quis* 100. *aureos mutuos. Mercator non vult mutuare; sed paratus est vendere illi merces credito summo pretio, v.g.* 105., *vel* 106. *aureis, ut eas vendat pecunia numerata* CUI VOLUERIT. *Ille easdem* OFFERT *mercatori, qui easdem emit, vel potius redimit pecunia numerata, sed minoris, pretio, nimirum medio vel infimo, v.g.* 100. *aureis, & illi manet debitor centum & quinque.*

Hactenus ne verbum quidem de contractu illo, quem damnavit Ecclesia; nempe de contractu CUM PACTO RETROVENDITIONIS PRÆVIE' INITO. Immo talem contractum evidenter hic legimus expressè exclusum iis verbis UT EAS VENDAT CUI VOLUERIT: & iis alii ILLE EMPTAS OFFERT. Si enim PRÆVIE' initum fuisset pactum retroventitionis; neque mercator traderet emptori merces cum facultate vendendi CUI VOLUERIT; neque emptor illas deinde redimendas OFFERRET. Ut per se patet.

Pergit deinde immediatè Lessius: *Quidam Doctores existimant id esse* INJUSTUM, *& palliatam usuram, quando idem redimit, qui vendidit. Sed verius est* NON ESSE

ESSE INJUSTUM , *etiamsi redimat ipse venditor, modo intra limites justi pretii consistat, ita ut quando vendit credito , non excedat pretium rigorosum , & quando redimit numerato , non descendat infra justum infimum . Ita Navarrus 23. num.9. Et Petrus Navarra lib. 3. cap. 2. num. 170. & alii recentiores . Ratio est , quia & venditio prima justa est , cùm fiat justo pretio quamvis summo , & secunda etiam est justa , qua eædem merces revenduntur . Nec refert , quòd hæc revenditio fiat pretio infimo . Tum quia pretium infimum etiam est justum , præsertim in numerata pecunia : tum quia merces ,* QUÆ A VENDITORE INGERUNTUR *vilescunt . Nec etiam refert , quod idem sit emptor , qui ante erat venditor . Quia si alius quivis poterat illo pretio emere , cur non ille qui vendidit? Immo beneficium alteri in hoc præstare videtur , dum ille liberatur a quærendis aliis emptoribus , & sumptibus in proxenetas faciendis .* NON TAMEN POTEST ILLUM AD HOC COGERE ; SED DEBET OMNINO LIBERUM RELINQUERE .

Neque hìc apparet ullum vestigium contractus Mohatra cum PACTO PRÆVIO RETROVENDITIONIS. Immo tale pactum hìc etiam expresse excluditur , & improbatur . Tum quia Lessius apertè supponit , illas merces ab emptore INTRUDI mercatori , ut eas redimat ; non autem INTRUDERENTUR , si PRÆVIE inter se convenissent , ut mercatori revenderentur: Tum quia Lessius disertè docet , mercatorem NON POSSE COGERE EMPTOREM AD REVENDENDUM , SED DEBERE OMNINO LIBERUM RELINQUERE : Cogeret autem , nec omnino , immo nullo modo liberum relinqueret , si præcederet pactum , ut retrovenderet .

Hæc evidentissima sunt , neque ipse P. Concina in his locat difficultatem : Sed locat in iis quæ consequuntur ; qui est textus ab ipso recitatus , & quem ego pollicitus sum , me daturum .

Lessius igitur post superiora verba nullis interjectis ita

ita pergit. *Adverte tamen hunc modum contrahendi sæpe non carere culpa in mercatore, qui* EX COMPOSITO *ita vendit, ut pretio infimo redimat. Nam primo peccare potest contra charitatem, ut si* COGAT *miserum aliquem hominem* EMERE *merces*, (non dicit RETROVENDERE, quod jam hinc advertendum est) *quibus non eget, magno illius dispendio, cùm possit illi facile, & absque suo incommodo mutuum dare. Secundo peccare potest præbendo malum exemplum; nam contractus ille habet speciem mali, & suspicionem usuræ. Tertio se ipsum, & suos infamando: non tamen tenetur ad restitutionem, ut inquit Navarrus; quod intellige non teneri ex justitia: sed fieri potest, ut teneatur ex charitate, si alter sit pauper, & grave sit illi tale detrimentum.*

In his P. Concina reperit contractum Mohatra damnatum ab Ecclesia, nempe contractum CUM PACTO PRÆVIO RETROVENDITIONIS: interpretatur enim ea verba EX COMPOSITO de PACTO PRÆVIE' INITO; ita ut sensus Lessii sit, non peccare contra justitiam, neque teneri ad restitutionem ex justitia mercatorem illum, qui prævie paciscitur cum emptore, ut sibi merces minoris retrovendat. Sed ego dico in ejusmodi interpretatione, & in quibusdam etiam aliis, quæ in decursu attingentur, sitam esse imposturam.

Ratio mihi brevis, & clara est: quia P. Concina interpretando illa verba EX COMPOSITO DE PACTO PRÆVIE' INITO, ea interpretatur in sensu, ut ajunt, contradictorio illis, quæ Lessius non alio in libro, non alio in loco, non in alia quæstione, sed ibi immediatè ante, nullisque interjectis docuerat. Quæ quidem superiora, maximam lucem ad mentem Lessii perspiciendam efferentia, P. Concina tum in Elencho propositionum damnabilium pag. 65. tum pag. 291. tum hoc in loco, ter enim contra Lessium repetiit hanc cantionem, alto semper silentio suppressit, & lectoribus suis occultavit.

Ut evincam quod dixi, syllogismum efformo. Si ea ver-

verba EX COMPOSITO significarent in P. Lessio, ut P. Concina contendit, PACTUM PRÆVIUM; Lessius docuisset immediatè, & nullis interiectis, duo contradictoria. Atqui hoc de Lessio non est credibile. Ergo. Propositionem minorem P. Concina, puto, non negabit. Neque enim si Lessium laxonem fingit; stolidum etiam volet, & bardum fingere. Probo propositionem majorem.

Lessius, ut contractus ille purgetur AB INJUSTITIA (ab injustitia, inquam, non ab alio vitio, quia quod Lessius probandum assumpserat, erat, contractum illum non esse INJUSTUM „ Quidam Doctores, inquit, existimant id esse injustum; sed verius est non esse injustum„) requirit, ut emptor possit vendere merces CUI VOLUERIT; ut emptas ipse OFFERAT mercatori redimendas; parum hoc, UT INGERAT, etiam parum; UT mercator NON COGAT ILLUM AD HOC, SED UT OMNINO LIBERUM RELINQUAT. Hæc omnia docet Lessius, dum immoratur in ea solùm quæstione, utrum contractus ille sit injustus; & una ex potissimis rationibus, quibus probat non esse injustum, hæc ipsa est, quia merces, QUÆ A VENDITORE INGERUNTUR, vilescunt. Ergo in superioribus manifestissimè docet hanc Propositionem TALIS CONTRACTUS CUM PACTO PRÆVIO RETROVENDITIONIS INJUSTUS EST.

Jam verò finge illa verba EX COMPOSITO habere sensum affictum a P. Concina, idest significare PACTUM PRÆVIUM: Cùm Lessius doceat, talem mercatorem vendentem EX COMPOSITO ut pretio infimo redimat, non peccare contra justitiam; manifestissimè immediatè doceret hanc aliam propositionem TALIS CONTRACTUS CUM PACTO PRÆVIO RETROVENDITIONIS NON EST INJUSTUS. Quæ directè contradicit primæ. Ergo immediatè, & nullis interjectis duo contradictoria docuisset. Quæ erat Major syllogismi probanda.

At

At quinam ergo erit sensus illorum verborum QUI EX COMPOSITO ITA VENDIT, UT PRETIO INFIMO REDIMAT? In primis quicumque sit, mihi satis est, non esse illum affictum a P. Concina, ut solidè probatum est. Deinde assigno duplicem, & quidem non obtortum. Primum ea verba significare possunt intentionem internam, etsi nullo modo manifestatam. Ita ut sensus sit „ Qui EX INDUSTRIA; qui EX HAC INTENTIONE negat pecuniam mutuam misero illi petenti, & vendit illi merces, ut pretio infimo redimat, peccat contra charitatem „. Et ea verba EX COMPOSITO significent REM COMPOSITAM SECUM IPSO, IN ANIMO SUO a mercatore, non verò COMPOSITAM EXTERIUS CUM EMENTE.

Secundus sensus potest esse iste„ Mercator, qui CONCORDITER cum misero emptore tali pacto negotium transigit, ut prius vendat, & deinde pretio infimo redimat, peccat contra charitatem „ Quæ CONCORDIA haberi potest per hoc, quod prius communi consensu celebrent emptionem; & postea communi novo consensu celebrent retroventionem, quin tamen secundus iste consensus deductus fuerit in pactum prævium, sed emptor fuerit relictus omnino liber, ut revenderet merces CUI VOLUERIT. Uterque sensus naturalis est. Primum tamen puto esse genuinum sensum Lessii.

Dices. At Lessius docet, mercatorem illum non peccare contra justitiam, si COGAT miserum aliquem hominem emere merces quibus non eget, magno illius dispendio, cùm possit illi facilè, & absque suo incommodo mutuum dare. In quam doctrinam ita declamatoriè invehitur P. Concina hoc Tomo 7. pag. 252.

Mercator ergo, qui ex composito cogit miserum homulum ad emendum pretio summo merces, quibus non eget, ut easdem sibi RETROVENDAT PRETIO INFIMO, *non peccat contra justitiam? Si emptor iste sit dives mercator, non peccabit neque contra charitatem. Si autem absit scan-*

 dalum

dalum nullo modo peccabit. Hæc porro doctrina damnata est.

Respondeo, COACTIONEM, de qua loquitur Lessius non cadere supra RETROVENDITIONEM, sed solùm supra PRIMAM EMPTIONEM, ad quam mercator COGIT miserum homulum nolendo dare mutuum, & quam posset impedire mutuum dando. Ait enim Lessius „ si COGAT miserum aliquem hominem EMERE,, Non ait „ SI COGAT SIBI RETROVENDERE PRETIO INFIMO „ ut advertendum monui, cum textum darem.

Hinc P. Concina, ut mihi quidem videtur, ter defecit a bona fide. Primo; supprimendo semper, & occultando Lectoribus verba Lessii, quibus ad liberandum AB INJUSTITIA illum contractum postulat, ut retrovenditio sit OMNINO LIBERA, ET SPONTANEA retrovendenti. Secundo; interpretando illa verba EX COMPOSITO in sensu contradictorio illis, quæ immediatè ante Lessius docuerat. Tertio, repræsentando, & suadendo Lectoribus, COACTIONEM illam, de qua Lessius, cadere supra RETROVENDITIONEM, cum solùm cadat supra PRIMAM EMPTIONEM.

Immerito etiam P. Concina pag.509. carpit Vivam, quòd in expositione ejus propositionis damnatæ dixerit, nostros Theologos communiter docere contractum illum esse injustum: cum Lessius, ut ait P. Concina, contra doceat. Immerito, inquam, Primo, quia etsi unus Lessius contra doceret; alii tamen Theologi, quamquam PROBABILISTÆ defendunt injustitiam ejus contractus, quod satis superque est, ut nostri Theologi COMMUNITER doceant, contractum illum esse injustum. Secundo; quia neque Lessius contra docet, ut ostensum est.

CA-

CAPUT LXXVII.

Restituitur suæ sinceritati sententia P. Sanchez.

P. Concina Tom.7. pag.629.

Utrum opinio, quam Pater Sanchez lib.1. Consil. cap.7. dub.2. docet, pauperem nempe, qui jus mendicandi in urbe obtinuit, posse hoc jus VIRO NON PAUPERI *locare, probabilis sit? Respondeo, eamdem opinionem defendit P. Sporer num.23.: quia eleemosyna etiam tunc datur pauperi mediatè, quia datur Conductori solventi pensionem pauperi. Nonne pauper æger per alium* DIVITEM *petere eleemosynam valet? Hæ sunt quæstiones, quæ* IN PATRIBUS SANCTIS *discussæ non reperiuntur. Opinio hæc falsa est, &* FRAUDIS PLENA. *Fraus quippe populo fieret, qui pauperi, non* DIVITI, *eleemosynam dare se arbitratur. Dum pauper ægrotus per alium etiam divitem eleemosynam petit, verè eleemosyna pauperi, non* DIVITI *porrigitur, nullaque fraus occurrit. At dum pauper locat* DIVITI *jus mendicandi pacto pretio, tunc* DIVES *conductor* NOMINE PROPRIO *eleemosynam petit, & eidem datur. Præfata opinio ordinem divinæ Providentiæ pervertit, quæ vult pauperes patientia, humilitate, & verecundiæ tolerantia stipem sibi comparare. Qui nam pauperes isti, qui reditibus vivunt? Sed opinio hæc* CONTEMNENDA, *non refellenda est, potissimùm quòd si praxim spectes,* CHIMÆRICA *apparet; Quis enim est, qui jus mendicandi a paupere conducere velit* NULLA EGESTATE PRESSUS? *Nemo sane, nisi aut avarus, aut veterator, aut aleator, aut projectæ frontis homo.*

SI P. Sanchez doceret opinionem, quam ipsi affingit P. Concina, sine dubio doceret opinionem falsissimam, & PLENAM FRAUDIS: Sed cùm ejus doctrina mirum in modum immutata sit, ac deformata, nulla reprehensione dignus est. Itaque P. Concina ita depingit lectoribus Sententiam Sanchezii, tamquam si iste defenderet Jus illud mendicandi locari posse conductori DIVITI, qui, pro se eleemosynam petens, populo fraudem faceret, atque ad se veteratorio artificio nummos averteret, dum populus non DIVITI, sed pauperi eleemosynam præbere se arbitratur. Verùm apud Patrem Sanchez de Conductore DIVITE ne verbum quidem: sed has omnes divitias huc contulit P. Concina de suo; quibus hoc lucratus est, ut opinio Sanchezii ridicula atque absurdissima lectoribus appareret. En totam illam dubitationem secundam a capite ad calcem.

An qui habet licentiam Papæ vel Episcopi ad petendam eleemosynam uno anno vel per se, vel per alium, ut suæ necessitati consulat, possit hoc jus locare alteri pretio aliquo? Duplex est Sententia. Prima dicit, non posse: & teneri alterum restituere quod acquisierit ultra pretium locationis, quod dedit, & suam sustentationem, vel illi, cujus erat licentia, si nondum consultum erat suæ necessitati; si autem consultum erat, aliis pauperibus. Quia intentio Pontificis concedentis hanc licentiam non est, ut locetur. Sic Manuel Rodriguez in Bulla Composit. num.51. fine: Corduba summa quæst.98. Secunda Sententia probabilior dicit, posse: nec causari obligationem restituendi, quia expresso aliquo jure non probibetur locare; nec fit inhabilis ad pretium locationis recipiendum, & locat illud jus, quod habet, estque contractus fortunæ, quo uterque lucri & jacturæ periculo exponitur. Sic Henriquez lib.7. De Indulgentiis cap.35. num.5.

Hæc est integra dubitatio illa secunda, in qua Sanchez

chez eam quæstionem pertractat. Jam verò ex qua propositione Patris Sanchez, ex qua periodo, ex quo verbo exculpere potest P. Concina, ipsum loqui de CONDUCTORE DIVITE, qui PRO SE, qui NOMINE SUO eleemosynam petat, populumque veteratoriè decipiat, qui PAUPERI non DIVITI se stipem præbere putat? Indicet, si potest, ubi P. Sanchez nominet DIVITEM. Indicet, quod magis necessarium est, ubi CONIUNCTIM nominet DIVITEM, qui NOMINE SUO, qui PRO SE petat, atque ideo populo fraudem faciat. Quod si indicare non potest, fateatur se imposuisse Sanchezio opinionem FRAUDIS PLENAM, Divinæ Providentiæ ordinem PERVERTENTEM, non refellendam, sed CONTEMNENDAM.

Quod ait P. Concina, CHIMÆRAM esse, divitem conducere a paupere jus mendicandi pro se & nomine proprio, verissimum est. Sed hoc ipsum probat, Patrem Sanchez non loqui de tali Divite: Sed vel de Conductore paupere, qui opus habeat ad mendicandum communicatione illius Juris, vel ad summum de Divite, qui eleemosynam petat non pro se, & nomine proprio, sed pro paupere aut nominato aut innominato, neque enim tunc etiam divites mendicare erubescunt.

Quod ait, has quæstiones in PATRIBUS SANCTIS non reperiri discussas: habet quidem sæpissime in ore P. Concina Scripturas, Concilia, Canones, Patres. Sed, si loquamur de quæstionibus, quæ inter catholicos controvertuntur, paucissimæ illæ sunt, siquidem cum ingenti cæterarum numero comparentur, quas ipse ex scriptura, Conciliis, Canonibus, Patribusque resolvat. Quod me puderet dicere, ni verum esset, cùm a quocumque, qui oculos habeat, & hanc Theologiam perlustret, facillimè mendacii revinci possem.

CA-

CAPUT LXXVIII.

Vindicantur ab impostura Castropalaus, Gobat, Arriaga & alii.

P. CONCINA Tomo 8. pag. 88.

Disputant quoque, num adjecta conditio exprimi ore, an sola mente concipi debeat? Castropalaus, Joannes Sanchez, Arriaga, Gobat, Escobar contendunt, sat esse eam mente concipi, VOLO OMNES ET SOLOS ABSOLVERE, QUI ERUNT LEGITIME DISPOSITI. *Ultra pergit Moya, ut refert idem La-Croix, docetque, se non damnaturum mortalis culpæ, qui ne mente quidem* EXPRESSE *conciperent conditionem, quia certum est semper adesse* CONDITIONEM IMPLICITAM, *cùm nemo intendat conferre Sacramentum nisi prout potest & debet. Hæc & plura alia de more P. La-Croix arbitrio lectoris relinquit.* HINC *juxta relatam Doctrinam* OMNIBUS ACCEDENTIBUS *ad tribunal poenitentiæ dispensare ministri thesaurum absolutionis poterunt, ut dispositi illam percipiant, secus indispositi.* HOC CONDITIONIS IMPLICITÆ ARCANO CONFESSARII A MOLESTIA SEVERE' EXAMINANDI DISPOSITIONEM POENITENTIUM SESE LIBERANT, ET NUMEROSISSIMAM POPULORUM FREQUENTIAM SIBI CONCILIANT. *Omnes se absolutos existimant, cùm ignorent* SECRETUM CONDITIONIS IMPLICITÆ. *Quàm sit hæc doctrina, & perniciosa poenitentibus, & Christianæ disciplinæ infesta quisque intelligit.*

..*.*.*.*.*

HIc habemus, Christiani lectores, orationem plenam sarcasmis, & imposturis, quas majori claritate, quà potero, vestris oculis subjiciam.

Prima impostura, vel saltem defectus bonæ fidei in eo est, quòd apertè non exponat casum, pro quo solùm laudati auctores tradunt illas Doctrinas de conditione absolutioni apponenda. Immo satis insinuat, eos loqui de omni casu, quo quis audiat confessiones, vel ad eas audiendas se accingat. Innuit enim, ex eorum Doctrina sat esse, ut, qui se exponit audiendis confessionibus, mente concipiat hanc intentionem: VOLO OMNES ET SOLOS ABSOLVERE QUI ERUNT LEGITIME DISPOSITI: Et non solùm innuit, sed affirmat expresè, juxta relatam Doctrinam posse OMNIBUS, qui ad tribunal pœnitentiæ accedent, dispensari thesaurum absolutionis, ut dispositi illam percipiant, secus indispositi. Porro hoc est falsissimum, ut patebit ex eorum verbis infra producendis. Loquuntur enim solùm de casu, in quo danda sit absolutio conditionata. Ut esset e.g. casus moribundi destituti sensibus, de quo dubitatur, num sit capax: Et casus, in quo Poenitens jam manifestasset sua peccata, & post diligentem discussionem dispositionis Sacerdos esset dubius: vel casus in quo Poenitens non haberet nisi unum peccatum dubium. Et de his solùm casibus loquentes instituunt quæstionem, quà ratione conditio apponenda sit. Circa quod variæ sunt Sententiæ. Aliqui dicunt, conditionem esse ore exprimendam; & hoc consultius esse docet La-Croix. Aliqui dicunt, sat esse, si mente EXPRESSE concipiatur. Alii demum dicunt, sat esse, si concipiatur mente solùm IMPLICITE, quod tamen Moya ita temperat, ut id non liberet a culpa veniali.

Secunda impostura est, Castropalaum, Gobat, Arriagam CONTENDERE, sat esse mente eam concipi.

VO-

VOLO OMNES ET SOLOS ABSOLVERE, QUI ERUNT LEGITIME' DISPOSITI. Nemo enim eorum hoc contendit, aut de hoc verbum habet: ut item patebit ex eorum textibus.

Tertia impostura est, ex relata doctrina sequi, posse omnibus indiscriminatim dari absolutionem sine severo examine dispositionis, ita ut dispositi illam accipiant, secus indispositi. Tum quia fere omnes laudati auctores expressè requirunt diligentem discussionem talis dispositionis: tum quia ex eo, quod in supradictis casibus dubiis, in quibus impertienda est absolutio sub conditione, sufficiat, hanc conditionem vel explicitè vel implicitè mente concipere; certissimè juxta nullam bonam dialecticam sequitur, non incumbere Confessariis onus severè examinandi dispositiones Poenitentium: & posse indiscriminatim absolvi OMNES ad Pœnitentiæ tribunal accedentes. Sed afferamus auctorum verba, quæ polliciti sumus.

Castropalaus Tract.23. disput. unica, Puncto 5. n.9. *Præterea prædicta verba absolutionis proferri debent absolutè, non conditionatè, quia hic est usus & praxis Ecclesiæ. Ideoque absolutioni tenetur Sacerdos* PRÆMITTERE POENITENTIS NOTITIAM, QUEM SI RITE DISPOSITUM INVENIAT, ABSOLVIT: SIN MINUS; ABSOLUTIONEM DENEGAT. *Sed quia sæpe contingit* POST DILIGENTEM EXCUSSIONEM, *Sacerdotem dubium esse, an Poenitens rite dispositus sit absolutioni recipiendæ, ut in casu proximè dicto videri potest, non est illicitum, sed potius conveniens, absolutionem concedere* SUB CONDITIONE *de præsenti* MENTE SALTEM RETENTA, *nempe si rite es dispositus, te absolvo.*

Gobat Tractatu 7., cum num.267. proposuisset tertio loco casum, in quo dubitatur, an poenitens sit rite dispositus, quoad dolorem, propositum, integritatem: num. 268. ad hunc tertium casum ita respondet. *In tertio* SI ADHIBITA CONFESSARII DILIGENTIA *nequeat tolli dubium, absolvatur in nomine Domini etiam sub condi-*

ditione. Ut primum enim coepit aperire Sacerdoti unum peccatum acquisivit aliquod saltem imperfectum jus ad absolutionem: fructu hujus certi juris non debet integrè privari ob solum dubium. Ergo sub conditione danda.

Et deinde num.272., quærens quomodo IN TALI CASU apponenda sit conditio, sic habet. *At oportet ne in mente illam* EXPRESSE *habere? an sufficit si* VIRTUALITER & IMPLICITE? *Respondeo esse consultius,* UT EXPRESSE *in animo dicas, Te absolvo in quantum possum & indiges. Quia tamen quisque confessarius incipit excipere confessiones cum intentione aut expressa, aut implicita, virtualive faciendi id quod facit Ecclesia, seu quòd statuit Christus, Christus autem statuit, ut* IN TALIBUS CASIBUS FIAT ABSOLUTIO SUB CONDITIONE; *ideo facit illam sub conditione implicita seu virtuali omnis non sceleratissimus confessarius, etsi non cogitans expressè de conditione, quia omnis probus habet intentionem satisfaciendi intentioni Christi.*

Moya Tomo 1. Tract.3. disp.6. quæst.4. agit per totam illam quæstionem de casu moribundi sensibus destituti, tum n.42. quærens quomodo conditio sit tunc apponenda hæc habet: *Inquiunt Lugo, Sanchez, & Diana debere absolutionem impertiri sub conditione mente saltem concepta.... Verùm ego de lethali non damnarem non concipientem expressè conditionem, quia certum est, ut supponit Lugo supra, semper adesse conditionem implicitam.*

Arriaga de Poenitentia disp.31. num.39. loquitur solùm de Casu, quo poenitens non habeat nisi unicum peccatum dubium, & quærens utrum tunc danda sit absolutio sub conditione exteriùs expressa, hæc habet. *Eo ipso, quòd Poenitens unum tantum peccatum, & illud quidem sub dubio confitetur, intelligitur Sacerdos dando absolutionem respondere illi eo sensu, quo est confessus, hoc est sub dubio dare absolutionem, etiamsi exterius id non explicet verbis.*

Ex his textibus habetur primo, laudatos auctores

tradere illam doctrinam de conditione vel explicita, vel implicita, non pro omni casu, quo quis audiat confessiones, & absolvat, ita ut possit indiscriminatim OMNES absolvere, & siquidem dispositi sint, absolutionem percipiant, secus, si non sint dispositi: Sed solùm pro casibus superius dictis, vel moribundi destituti sensibus, vel Poenitentis jam confessi peccata, de cujus dispositione POST DILIGENTEM DISCUSSIONEM Sacerdos maneat dubius, vel Poenitentis habentis unum tantùm peccatum, & illud dubium. In quibus Casibus ILLI PUTANT dandam esse absolutionem sub conditione. Dixi verò ILLI PUTANT. Quia more meo non definio ullam quæstionem; ideoque neque istam, Utrum in dictis casibus danda sit absolutio etiam sub conditione.

Habetur secundo, Castropalaum, Arriagam, Gobat nusquam CONTENDERE, sat esse eam mente concipi, VOLO OMNES & SOLOS ABSOLVERE, QUI ERUNT LEGITIME' DISPOSITI, & de hujusmodi intentione ne verbum quidem eos facere.

Habetur tertio, neminem eorum talem doctrinam tradere, juxta quam OMNIBUS accedentibus ad Tribunal Poenitentiæ dispensari possit absolutio, ut dispositi illam percipiant, secus indispositi. Cùm aliqui ex laudatis auctoribus expresſè requirant diligentem EXCUSSIONEM dispositionis, quæ si non inveniatur, negetur absolutio, si ADHIBITA DILIGENTIA Sacerdos dubius maneat, absolvat sub conditione. Alii verò doctrinam suam restringant ad casum moribundi, vel Poenitentis habentis unicum peccatum, & illud dubium; quæ non ideo applicari potest ad OMNES Poenitentes, quorum dispositio per otium severè examinari & potest & debet. Ergo habentur supradictæ tres imposturæ.

Quarta impostura, vel potius calumnia est Confessarios illos, qui NUMEROSISSIMAM POPULORUM FREQUENTIAM SIBI CONCILIANT, HOC CONDITIONIS IMPLICITÆ ARCANO LIBERARE SE A MO-

MOLESTIA SEVERE EXAMINANDI DISPOSITIONES POENITENTIUM. Quos confessarios velit hic intelligi, divinent alii. Quicumque illi sint, quo fundamento affingit illis P. Concina hoc gravissimum crimen? Demus etiam, quod tamen ignotum est, eos Confessarios esse in hac Sententia, sat esse in tribus casibus supra dictis concipere mente IMPLICITE conditionem, numquid ignorant, esse nihilominus diligenter examinandam dispositionem OMNIUM, qui ad accipiendam absolutionem accedunt? Nemo illos tam ignaros existimabit in re gravissima officii sui. Cur ergo P. Concina conatur illos hujus sceleris suspectos reddere? Cur illorum Poenitentes conjicit in timorem, ne forte non absoluti discedant; cùm putent se absolutos QUIA IGNORANT SECRETUM CONDITIONIS IMPLICITÆ? Utrum hæc deceant severioris ethices professorem, aliis judicandum relinquo.

CAPUT LXXIX.


Restituitur suæ sinceritati opinio Conink, & Vivæ.

P. Concina Tom.8. pag.227.

Opinio P. Dominici Viva a culpa VENIALI *cum Trullenco*, CONINK, *aliisque Casuistis, excusantis Fideles qui tantum Sacramentum* (Confirmationis) NEGLIGUNT, NIMIUM LAXA *est: siquidem, ut fatetur vel ipse Leander loco citato quæst.7. ex Patre Valentia, communiter illi ipsi auctores, qui negant præceptum, fatentur peccare illos, qui hoc Sacramentum* NEGLIGUNT.

Et pag.223. relata Sententia Vivæ ita scripserat.

Nec VENIALEM *quidem culpam perpetrat Christianus, qui in hoc agone constitutus, & undique hostium multitudine circumdatus, deliberatè nolit se tali munire præsidio? Declamator ne ero, & sanctæ caritatis violator, si dixero hanc doctrinam* NIMIAM *redolere* LAXITATEM?



NOn refertur sincerè, neque in suo vero adspectu depingitur opinio PP. Conink, & Vivæ. Repræsentatur enim lectoribus, hos auctores liberare fideles omittentes hoc Sacramentum indefinitè & universaliter ab OMNI prorsus culpa veniali undecumque orta: quod falsissimum est, ut jam ostendo.

Itaque aliud est liberare aliquem a culpa veniali, orta ex OBLIGATIONE DIRECTA alicujus præcepti, aliud liberare a culpa veniali, orta ex aliis capitibus. E. G. Qui negligeret Communionem toto integro anno, & illam sumeret solùm in Paschate, ne VENIALITER quidem peccaret EX VI DIRECTA præcepti; quia præceptum Communicandi semel in anno ne venialiter quidem obligat ad Communionem frequentandam in anni decursu. Nemo tamen liberabit Christianum negligentem communiones toto anno a culpa veniali orta aliunde, scilicet a Prodigalitate quadam spirituali, & a negligentia in re adeo conducente ad salutem.

Jam verò Conink, & Viva negant quidem culpam venialem ortam EX OBLIGATIONE DIRECTA, quia negant præceptum suscipiendæ confirmationis. Sed P. Concina non judicabit verbum, quo neget culpam venialem ortam aliunde, sive, quo negent illam culpam, quam fatente ipso Leandro admittunt illi Auctores, qui negant præceptum.

En verba P. Conink quæst.72. De Confirm. artic. 8. num.91. *Conclusio tertia. Nulla est* DIRECTA OBLIGA-

TIO

TIO *ad hoc Sacramentum suscipiendum etiam sub peccato veniali. Ratio est, quia* NULLUM EST PRÆCEPTUM *humanum ad hoc nos obligans, ut patet ex dictis; neque etiam divinum vel naturale, quia si tale esset, cùm hæc sit materia gravis, obligaret sub mortali.* VIX UMQUAM TAMEN SINE JUSTA CAUSA HOC SACRAMENTUM OMITTITUR SINE PECCATO VENIALI. *Quia per illam omissionem privamus nos magnis bonis, & auxiliis spiritualibus*, QUOD PER SE CONTINET QUAMDAM PRODIGALITATEM, ET INDECENTIAM: *& hac ratione efficimur minus idonei ad resistendum peccatis, unde exponimur majori periculo peccandi sæpius: quod, quando ita commodè possumus, saltem* SUB PECCATO VENIALI TENEMUR VITARE.

Negat ne hic P. Conink OMNEM culpam venialem etiam ortam ex aliis titulis? Negat ne etiam illam culpam, quam admittunt Auctores negantes cæteroquin præceptum?

En verba Vivæ in Cursu Theologico Parte 5. quæst. 3. artic.2. num.6. *Respondeo cum communi apud Dianam.... non esse mortale illud nolle suscipere præcisò contemptu & scandalo: immo cum Trullen. & Henr. contra Navarrum* APUD CONINK, *ne veniale quidem*, CUM NULLIBI EXTET PRÆCEPTUM *de illo suscipiendo*.

Etiam P. Viva hic negat solùm culpam venialem quantum est ex vi præcepti directi. Tum quia loquitur in sensu P. Conink negantis culpam venialem, ut vidimus, solùm EX OBLIGATIONE DIRECTA. Tum quia non aliam affert rationem negandi talem culpam, nisi quia NULLIBI EXTAT PRÆCEPTUM de illo suscipiendo. Tum quia ne verbum quidem habet, quo neget culpam venialem aliunde ortam. Ergo neque Conink, neque Viva negant indefinitè & universaliter omnem culpam venialem; etiam illam, quam admittunt Auctores negantes præceptum. Ergo P. Concina hoc ipsis affingendo apertè imposuit.

Hoc

Hoc ſatis ad inſtitutum: tamen præterea hoc adverto. P. Conink non modo non negat culpam venialem aliunde ortam, & admiſſam ab aliis auctoribus, qui cum ipſo negant præceptum; ſed diſertiſſimè & expreſſiſſimè illam admittit & probat, ut viſum eſt. P. Viva de illa EXPRESSE non loquitur: dicendus tamen eſt, non modo illam non negare, ut eſt certiſſimum; ſed implicitè eam admittere, quia loquitur juxta ſenſum P. Conink eam EXPRESSE admittentis.

Occaſione hujus quæſtionis P. Concina more ſuo exagitat nominatim, & mirum, quantum! ſolos Patres Vivam, & La-Croix; qui & ipſe negat præceptum, nuſquam tamen negat culpam aliunde ortam. Eos ſolos oſtentat lectoribus: eos ſolos in eorum oculis conatur infigere, & quidem tum in titulo capitis illius ſexti, quod verſamus, tum in decurſu capitis, tum in Indice. Sed mihi placet inſtruere lectores etiam de iis, quæ ſuper hac quæſtione ſcripſerunt alii Theologi, qui certè cum P. Concina conſentientes non ſunt.

I. Dominicus Soto Dominicanus in 4. Diſtinct. 7. quæſt. unica artic.8. *Contrarium autem, ſcilicet* NULLUM *eſſe præceptum obligans ſub peccato mortali eſt longe probabilius* : *immo hic* S. THOMAS ID TAMQUAM CERTUM *affirmare videtur*. *Gloſſat enim Hugonis verbum dicentis*, *Periculoſum eſſe ſine confirmatione mortem obire*, *dicens*, „ Non quia homo ille damnaretur niſi forte propter contemptum, ſed quia detrimentum perfectionis pateretur „. *Et eamdem opinionem quaſi* P. THOMÆ *aſſeverat Adrianus quæſt. de Confirm.* a.1., *ſcilicet quod neque eſt* PRÆCEPTUM DEI, NEQUE ECCLESIÆ.

Sciant lectores, P. Concinam acriter defendere Præceptum, acriter propugnare S. Thomam ſtare pro ſua Sententia, & acriter declamare adverſus eos, qui interpretationem adhibent Patribus, & Conciliis ab ipſo allatis. Pergamus.

II.

II. Cajetanus Dominicanus in summa V. *Confirmatio. Confirmationis Sacramentum, quod Chrisma vocatur, negligens accipere, peccat, quia debet esse solicitus de Sacramento communi omnibus Christianis ad robur Fidei a Christo instituto. Non peccat tamen mortaliter, si desit contemptus, quia Sacramentum hoc nec est necessitatis absolutæ;* NEC EX EXACTIONE ECCLESIÆ.

III. Bartholomæus Fumus Dominicanus in summa vulgo Armilla V. *Confirmatio : Confirmationis Sacramentum, quia non est necessitatis, ideo dimittens non ex contemptu, sed tantùm ex negligentia, peccat quidem, sed non mortaliter.*

IV. Martinus Ledesma Dominicanus in 4 Parte 1. quæst.13. art.8. *Dubitatur primo, an omnes adulti teneantur ad Confirmationem sub pœna peccati mortalis? Ad hoc respondetur, & sit Prima propositio. Negligentia vel omissio hujus Sacramenti sine contemptu numquam est peccatum mortale* STANDO IN JURE DIVINO. Hanc PONIT FORMALITER S. THOMAS *in ista quæstione artic.1. ad 3. & in isto octavo articulo ad 4. Secunda propositio est. Etiam* NEC LEGE HUMANA *præceptum est de sumptione hujus Sacramenti. Quia* IN TOTO CORPORE JURIS NON HABETUR TALE PRÆCEPTUM.

V. Bonifacius Maria Grandi Dominicanus Tomo 3. cursus Theologici quæst.72. a.8. *De tertio dico.* PER SE *loquendo non tenentur Fideles sub mortali ad hoc Sacramentum suscipiendum.* ITA CUM DIVO THOMA *hic tam artic.1. ad 3. quàm in hoc ad 4. Contra Contensonium spec.2. & alios etiam antiquos.* NULLUM *namque assignari potest* PRÆCEPTUM DIVINUM, VEL ECCLESIASTICUM *hoc imponens: unde nec ab adversariis adducuntur Auctoritates Sacræ Scripturæ.* TRADITIONES VERO, AC PATRUM AUCTORITATES *affirmantes necessitatem hujus Sacramenti legitimè interpretantur* DUCE ANGELICO PRÆCEPTORE de necef-

cessitate SECUNDUM QUID, SEU AD MELIUS ESSE.

VI. Joannes Baptista Corradus Dominicanus p. 2. quæstione 179. *Dimittere autem illud ex negligentia non esset mortale contra jus divinum, quævifcumque negligentia sit, etiam crassa. Stando autem in jure humano Adrianus & S.* THOMAS *tenent, quod* NON EST PRÆCEPTUM, *& ita credit Franciscus Victoria.*

VII. Bartholomæus ab Angelo Dominicanus Dialogo 3. §.68., & 69. *Alii autem contrarium tenent, scilicet* NULLUM ESSE PRÆCEPTUM *obligans sub reatu mortali..... Hanc opinionem sequor etiam ipse. Nam cùm perceptio Sacramenti Confirmationis* NON SIT DE JURE DIVINO, UT OMNES CONCORDITER TENENT: *ergo neque est de* JURE PONTIFICIO.

VIII. Philippus Maria Grossi Dominicanus Tract.22. De Confirmatione quæst.1. art.4. *Dico quod* NULLUM DATUR PRÆCEPTUM *obligans sub mortali peccato ad susceptionem hujus Sacramenti.*

IX. Martinus Wingandt Dominicanus in Tribunali Confessariorum Tractatu undecimo, examine 6. quæst.1. *Ex his colligitur, quòd nemo mortaliter peccet, qui hoc Sacramentum non suscipit, modo non omittat cum contemptu, vel cum scandalo.*

X. Dominicus de Marinis Dominicanus Archiepiscopus Avenionensis in 3. p. quæst.72. art.12 cap.9. *Ceterum* S. DOCTOR, *ut mox vidimus*, NEGAT HOC PRÆCEPTUM, *dum explicans auctoritatem Hugonis dicentis, omnino periculosum esse, si ab hac vita sine confirmatione migrare contigerit, dicit* „ Non quia damnare- „ tur, nisi forte propter contemptum „. *Quo dicto manifestè ostendit, quod omittens Sacramentum Confirmationis non peccat mortaliter, nec contra ALIQUOD PRÆCEPTUM, & quod si ex contemptu hoc faceret, peccaret mortaliter. Auctorem sequntur hac tempestate* OMNES THEOLOGI: *immo hic est sensus* TOTIUS ECCLESIÆ.

Un-

Unde in Catechismo Romano de Confirmationis Sacramento hæc habentur. „ Atque illud in primis &c. „

Et pergit referre pro sententia negante præceptum totum & prolixum textum Catechismi, quem affert P. Concina tamquam validissimum argumentum pro sua Sententia affirmante.

Laudati decem Dominicani conveniunt con Conink, Viva, & La-Croix in negando præcepto obligante sub gravi: nec dissentiunt ab istis in negando præcepto obligante sub levi. Ratio. Nam quamvis partim tacitè partim expressè doceant esse culpam venialem omittere Confirmationem, tamen nemo illorum explicat, utrum id sit ex vi præcepti directi obligantis sub levi, an verò ex aliis titulis allatis & illustratis a Patre Conink, & culpam venialem ortam ex illis nusquam negarunt PP. Viva & La-Croix: vel P. Concina doceat ubi, & quibus verbis.

Videamus nunc alios, qui expressè consentiunt in negando indefinitè & universaliter omne præceptum tum Divinum tum Ecclesiasticum, tum grave tum leve: quorum multi citant pro hac quoque Universaliori sententia S. Thomam, & præoccupant, ac dissolvunt Auctoritates, quas tam ingenti clamore intonat P. Concina.

XI. Gonet Dominicanus acerrimus ANTIPROBABILISTA disput. 6. de Sacramento Confirmationis articulo 3. *Dico 2. Ad recipiendum Sacramentum Confirmationis* IN NULLO CASU *tenentur adulti* SUB PRÆCEPTO PER SE ET DIRECTE OBLIGANTE. *Est contra Scotum, Bellarminum, Turrianum, Martinonium, & alios*. EST TAMEN DIVI THOMÆ.... *Ratio etiam suffragatur*. NULLUM EST PRÆCEPTUM NEQUE DIVINUM NEQUE ECCLESIASTICUM PER SE OBLIGANS *Fideles in aliquo casu ad susceptionem Sacramenti Confirmationis. Ergo ex præcepto* PER SE ET DIRECTE *numquam tenentur illud suscipere..... Quando in Canone* omnes *dicitur, quod omnes fideles per impositionem manus Episcoporum Spiritum Sanctum accipere* DEBENT,

verbum illud DEBENT *non significat præceptum*, SED CONSILIUM.

Antequam progrediar. Auctor rei Sacramentariæ, cujus conviciosissima verba refert, & adoptat hic P. Concina, lib.2. pag.348. loquens de sententia negante indefinitè omne præceptum tum divinum tum ecclesiasticum, hæc habet. „ Non ita sane Christus, non ita Apostoli, non ita Pontifices Maximi, non ita Patres, & Concilia præscripserunt. Non de fonte Traditionis, SED DE SENTINA PROBABILITATIS OPINIO PORTENTOSA EFFLUXIT „. Ex verbis Goneti habemus, de purissimis etiam fontibus ANTIPROBABILITATIS PORTENTOSAM OPINIONEM effluxisse. Adeo verum est, quòd alias monui, PROBABILISMUM nullam cognationem habere cum Sententiis directis, quas P. Concina appellat laxas. Sed pergamus.

XII. Petrus de Ledesma Dominicanus in summa hispana Part.1. cap.8. Conclus. 2. *No es peccado* VENIAL *no recibir esto Sacramento, aun quando ay oportunitad* ..... *La razon es, porque no ay* PRECEPTO DIVINO, *ny* ECCLESIASTICO *de recibir esto Sacramento, como queda ya determinado: luego no sarà peccado* VENIAL *no lo recibir, porque no se haze contra* LEY NINGUNA.

XIII. Mag. Serra Dominicanus in 3 p. quæst. 72. artic.4. Dubio 1. *Dicendum est secundo. Ad recipiendum hoc Sacramentum Confirmationis neminem teneri ex præcepto* PER SE DIRECTE *ad hoc obligante. Docent hoc* COMMUNITER *Theologi, præsertim M. Soto, ubi supra.... Et hoc colligit ex* D. THOMA.

XIV. Joannes Martinez de Prado Dominicanus Tomo 1. de Sacramentis p.3. quæst.72. dub 9. num.15. *Asserendum est* NULLUM DARI PRÆCEPTUM NEQUE DIVINUM, NEQUE HUMANUM *recipiendi Confirmationem*. ITA SUMITUR EX D. THOMA.

XV. Nugnus Dominicanus in 3. p. quæst.72. artic.8. *PER SE loquendo non est peccatum etiam* VENIALE *non velle*

velle suscipere hoc Sacramentum. *Patet ista Conclusio*. *Quia ubi non est lex*, *neque prævaricatio*. *Sed ut constat ex præcedentibus*, NULLUM EST PRÆCEPTUM *in hac parte*. *Ergo*.

XVI. Petrus Labat Dominicanus Tomo 6. Theologiæ disp.3. De Sacramento Confirmationis non longe a fine. *Colliges secundò & ultimò*, *Sacramentum Confirmationis* PER SE *loquendo non obligare ex necessitate præcepti*. EST D. THOMÆ *in* 4. *Dist*.7. *quæst*.1. *artic*.1., *& quæst*.2., *& hic artic* 8. *ad* 4. ET DISCIPULORUM EJUS *contra Scotum & alios*.... *Unde cum* SANCTI PATRES *loquuntur de hoc Sacramento nihil dicunt*, *quod ostendat* NECESSITATEM PRÆCEPTI, SED SOLUM MODUM CONSILII, *nimirum ut homo Christianus perficiatur in vita spirituali*, *scilicet perfectione* SUPERABUNDANTIÆ, ET SUPERROGATIONIS, NON AUTEM NECESSITATIS.

XVII. Victoria Dominicanus in summa quæst.48. *Stando in jure divino* NON EST PRÆCEPTUM, *nec invenitur in Evangelio locus obligatorius*, *sicut invenitur de Baptismo*, *Poenitentia & Eucharistia*. *Verum est quòd contemptus ejus est peccatum mortale*: *Contemneret verò qui nollet illud recipere*, *quia non vult obedire*, *& putat nullius meriti esse*.... *Stando verò in jure humano Adrianus &* S. THOMAS *tenet*, *quod non est præceptum*; *& ego ita credo*.

XVIII. Ludovicus Bancel Dominicanus Tomo 7. Theologiæ, quæst.2. de Sacramento Confirmationis artic.1. *Utrum fideles teneantur ad suscipiendum Confirmationis Sacramentum*? *Duplex est Sententia circa propositam difficultatem*. ALTERA D. THOMÆ, OMNIUMQUE THOMISTARUM, *& plurium aliorum*, QUOD NULLUS PER SE LOQUENDO TENETUR *suscipere hoc Sacramentum*. ALTERA *est Scoti*, *Scotistarum*, *& quorumdam aliorum docentium oppositum*. *Conclusio*. NULLUS EST CASUS, *in quo* PER SE *loquendo obligemur ad suscipiendum Sacramentum Confirmationis*. *Probatur primò*: *Quia hu-*

hujusmodi Sacramentum non obligat, SI NULLUM SIT DE IPSO PRÆCEPTUM, NEQUE DIVINUM NEQUE ECCLESIASTICUM, SED NULLUM TALE PRÆCEPTUM ASSIGNARI POTEST. *Ergo. Sed etiam convincitur ex ipsa natura hujus Sacramenti. Diximus enim quòd institutum est ad hoc ut Fideles publicè protestentur fidem coram Tyrannis tempore persecutionis. Sed possunt Christiani sic protestari fidem per solam virtutem Fidei, & zelum Religionis Christianæ* SINE AUXILIIS CONFIRMATIONIS, *quamvis cum auxiliis quæ conferuntur per hoc Sacramentum talis protestatio* MELIUS fiat, & FACILIUS. *Ergo hoc Sacramentum non est absolutè & simpliciter necessarium ad publicam fidei protestationem, sed tantum secundum quid. Et ideo* PERFECTIO EST ET OPTIMUM CONSILIUM *suscipere hujusmodi Sacramentum, non est tamen de ipso rigorosum* PRÆCEPTUM ...... *Respondeo quod illud verbum* DEBENT *indicat solummodo* CONSILIUM *ad majorem perfectionem, non verò* RIGOROSUM PRÆCEPTUM.

XIX. Joannes Nicolai Dominicanus in Parisiensi facultate celebris Sacræ Theologiæ Professor in 3. p. quæst. 72. artic.8. illa verba S. Thomæ in fine Corporis „ Et ideo hoc Sacramentum debet omnibus exhiberi „ Ita commentatur. *Non medii necessitate*, VEL PRÆCEPTI, *quasi non possit sine illo acquiri salus, modo contemptus absit, sicut additur infra*, SED AD MELIUS ESSE *saltem*, & EX DEBITO CONGRUENTI. (Advertant lectores quomodo insignis iste Dominicanus præoccupaverit auctoritates, in quibus adeo triumphat P. Concina) *Sic intelligi debet Urbanus I. dicens* „ Omnes fideles per „ manus Episcoporum impositionem Spiritum Sanctum „ accipere DEBERE, ut pleni Christiani inveniantur „ *sic Cyprianus* „ Necesse esse ungi eum, qui sit baptiza- „ tus, ut accepto Chrismate habere in se Christi gratiam „ possit, sive plenè sanctificari „. Sic S. Clemens Epi- „ stola 4. „ *Non aliter perfectum Christianum fieri posse,*

si

si non necessitate, sed incuria sine Chrismate remanserit ,,.

XX. Vincentius Candidus Dominicanus in Thesauro desiderabili, collecto a Francisco Salasia ejusdem Ordinis, Disquisit.38. artic.8. numero octavo. *Fideles non habent divinum* PRÆCEPTUM *suscipiendi Confirmationem*...... *Nullum est præceptum positivum* AB ECCLESIA..... *Neque est* VENIALE *non velle suscipere, quia* PRÆCEPTA SUB CONSILIO *omittere non est peccatum*.

En quorum sit opinio, propter quam tam acri declamatione nominatim exagitantur soli Viva & La-Croix. Laudati Dominicani negant, sicut Viva & La-Croix, indefinitè & universaliter omne præceptum tum divinum, tum Ecclesiasticum, tum grave, tum leve. Negant culpam venialem quantum est ex OBLIGATIONE DIRECTA, sive EX VI PRÆCEPTI PER SE ET DIRECTE OBLIGANTIS: Non negant culpam venialem ortam ex alio titulo. Sed hanc neque usquam negavit P. Viva, quamquam id calumniose persuaserit lectoribus P. Concina, quia negavit non indefinitè atque universaliter omnem culpam venialem; sed solùm culpam venialem EX OBLIGATIONE DIRECTA, ut a me superiùs EVIDENTER ostensum est. Et tamen cum adeò consentiant inter se laudati Dominicani, & duo illi Jesuitæ; Jesuitæ lectorum oculis objectantur, Dominicani absconduntur. Ne sinat P. Concina elabi sibi e manibus WENDROCHIANAM excusationem.

Laudatis Dominicanis placet addere unicum Patrem Suarez: qui Tomo 3. in 3. p. Disput.38. sectione prima eamdem prorsus opinionem solidè clarissimeque propugnat, his verbis.

Quarta itaque absolutè negat, datum esse aliquod præceptum suscipiendi hoc Sacramentum. HÆC CENSETUR ESSE SENTENTIA *D. Thomæ in* 4. *Distinct*.7. *quæst*.1. *a*.1. *quæstiunc*.2. *& hic artic*.8. *ad* 4..... *Fundamentum hujus Sententiæ est*: *Quia præceptum obligans sub mortali non est asserendum* SINE COGENTE FUN-

DA-

DAMENTO. *Hic autem* NULLUM EST NON SOLUM COGENS, VERUM NEQUE ADMODUM URGENS: *quia neque in Scriptura habemus hoc præceptum, neque* EX TRADITIONE: *Nam* OMNES SANCTI, ET PONTIFICES, *qui de hoc Sacramento loquuntur, explicant quidem vim, efficaciam, & utilitatem maximam, quam quodammodo* NECESSITATEM *appellant, hujus Sacramenti*: NIHIL *tamen dicunt, quod sufficienter indicet* PRÆCEPTUM...... *Neque sufficienter colligitur hoc præceptum ex ipso usu, vel traditione: Tum quia Fideles communiter non inducuntur ad recipiendum hoc Sacramentum tamquam ex* NECESSITATE *obligati; sed tamquam invitati ad id quod per se bonum atque utile est. Unde nullis censuris astringi solent, neque aliis mediis, quæ necessitatem indicent: Tum etiam, quia si hoc Sacramentum esset jure divino præceptum, daretur omnibus adultis in articulo mortis, quod tamen usus Ecclesiæ non habet. Tandem non colligitur ex sola ratione, etiam suppofita institutione, & fine, ac effectu hujus Sacramenti. Quia ex his omnibus solùm colligitur, hoc Sacramentum esse valde utile ad præservandum in Fide, non tamen necessarium; atque adeo neque præceptum propter hanc causam, quia sunt alia media sufficientia ad eum finem consequendum, qualia sunt oratio, meritum, virtutis exercitium, & similia....* DE JURE AUTEM ECCLESIASTICO *manifestius hoc constare videtur: tum ex dictis: tum quia Ecclesia non solet imponere affirmativa præcepta, nisi determinando tempus in quo implenda sint: imò in materia Sacramentorum non solet præcipere usum, quoad substantiam ejus, ut sic dicam; sed solùm determinare tempus, in quo talis usus exercendus sit: in usum autem hujus Sacramenti nullum tempus determinavit. Quocirca hæc postrema sententia vera est* PER SE *loquendo* DE PRÆCEPTO PROPRIO, & INTRINSECA OBLIGATIONE HUJUS SACRAMENTI. *Ex quo fit* PER SE *etiam loquendo non esse peccatum mortale hoc Sacramentum volun-*

lun-

luntariè omittere. (Advertantur, quæso, quæ nunc Suarez differit de culpa veniali) *An verò sit peccatum* VENIALE, *ut Cajetanus & al i volunt, ex fine & modo voluntatis judicandum est.* NAM EX VI OBIECTI & INTRINSECÆ OBLIGATIONIS *consequenter dicendum est*, NULLUM ESSE PECCATUM, *quia talis actus non est* IN PRÆCEPTO, *sed in* CONSILIO. *Alioquin si esset præceptum, materia ejus esset satis gravis, & ideo per se loquendo* OBLIGATIO AUT DEBET ESSE SUB MORTALI, VEL OMNINO NULLA; *neque est dare medium*: EX ACCIDENTE *verò potest esse* VENIALE PECCATUM (Hoc nusquam negavit Viva) *si censeatur* IRRATIONABILIS QUÆDAM PRODIGALITAS SPIRITUALIS, *vel nonnulla temeritas in modo aggrediendi periculum Fidei. Sed his etiam modis potuit interdum esse peccatum MORTALE etiam* per ACCIDENS.

Hactenus eximius Suarez, cum quo consentiunt Gregorius de Valentia in 3. p. disput. 5. generali quæst. 2. Puncto 3. affirmans esse COMMUNEM; Castropalaus, Bonacina, Henriquez, Filliuccius, Layman, Villalobos, Salmanticenses, & alii plurimi videndi apud Dianam, & Leandrum.

Cùm igitur hanc opinionem doceant tot insignes Dominicani; cum dicant, illam esse S. THOMÆ & DISCIPULORUM EJUS; cùm auctoritates allatas a Patre Concina explicent de CONSILIO, non de PRÆCEPTO: cùm idem præstent (audacter & jure dico) duo SUMMI THEOLOGI Suarez, & Valentia: cùm idem teneant alii plurimi gravissimique cujuscumque Instituti & conditionis: Commiseratione aliqua mihi videntur digni VIVA & LACROIX, quos solos nominatim exagitandos sibi de more proposuit P. Concina, si a Magistris tot ac tantis decepti, ipsi etiam novissimi omnium subscripserunt OPINIONI LAXÆ, NIMIUM LAXÆ, PORTENTOSÆ, DE SENTINA PROBABILITATIS EFFLUENTI. Magno animo opus est, ut his præconiis exornentur Sententiæ,

quæ

quæ a tot ac tantis auctoribus propugnantur.

Nulli tamen mirum sit, si tam strenuè defendit P. Concina præceptum suscipiendæ Confirmationis. Siquidem inter effectus hujus Sacramenti recenset etiam animi robur, & firmitatem ad impugnandas opiniones laxas.

CAPUT LXXX.

Vindicantur a falsa criminatione Patres Societatis Venetiis Paulo V. Pontifice discedentes.

P. Concina Tom.8. pag.304.

Qui plura hac de re scire cupit consulat ...... Martenium de antiquis Ecclesiæ ritibus lib.1. cap. 5. art.4. Ubi narrat, Patres Soc. Jesu, Paulo V. Pontifice summo Regnante, Venetiis discessuros, Hostias singulas collo sibi singulos alligasse; atque hoc devotionis fervore Urbe discessisse.

* * * * * * * * *

FAbellam a Martenio narratam non refert, puto, P. Concina, ut Jesuitas ornet, sed ut irridendos Lectoribus, atque improbandos proponat. Historia illius dissidii, quam Martenius citat, composita est a celebri Paulo Soave: illa verò lib. 2. pag. 98. editionis Mirandulanæ anni 1675. sic habet.

Partirono la sera alle due ore di notte ciascuno con UN CRISTO al collo PER MOSTRARE, *che Cristo partiva con loro.*

Quam interpretationem addidit quidem Historicus de suo: nihil tamen habet DE SINGULIS HOSTIIS SINGULORUM COLLO ALLIGATIS.

Mar-

Martenius in eo articulo habet plurima ſcitu digniſſima de ritu ferendi in itineribus Euchariſtiam. Cur P. Concina cæteris omnibus prætermiſſis, id ſolum in ſuam Theologiam tranferendum ſelegit, quod Jeſuitas vellicare poterat? Fateor falſam hanc criminationem non pertinere ad ſententias, cùm ſit res facti. Eam tamen ſilentio præterire nolui, ut clarius ſemper eluceſcat, quàm ſit bene animatus hujuſmodi ſcriptor erga noſtram Societatem.

CAPUT LXXXI.

Reſtituitur ſuæ integritati ſententia Laymanni.

P. Concina Tom.8. pag.6. *in Catalogo propoſitionum damnabilium.*

P. PAULUS LAYMAN *lib.5. Tract.4. capite 5. num. 4.*
„ Infirmus paulo ante, puta octo vel decem diebus,
„ communicavit cùm ſanus eſſet, & nihil de mortis
„ periculo cogitans: tunc non tenetur iterum com-
„ municare in morbum lapſus. „



ARtificiosè, nec ſatis bona fide amputatum eſt caput textui Patris Laymanni; & quidem non in leve damnum Auctoris Illum integrum exhibeo.

Quare ita diſtinguendum eſt CUM PALUDANO *in 4. diſtinct.9. quæſt.1. art.3. in fine. Vel infirmus paulo ante, puta octo vel decem diebus communicavit, cùm ſanus eſſet, & nihil de mortis periculo cogitans, tunc non tenetur iterum communicare in morbum lapſus. Sin vero lon-*

 gius

gius tempus e.g. UNIUS MENSIS *a communione præcedente elapsum est ; & nihil de mortis discrimine cogitans communicavit , debet iterum communicare , si in præsens mortis periculum cadat .*

PALUDANUS Dominicanus est, & quidem perdoctus, & perantiquus. Si P. Concina caput textui non detruncasset, vidissent Lectores Laymannum non esse fundatorem ejus sententiæ ; vidissent quàm magno auctore se tueatur ; vidissent quem Præceptorem secutus sit. Et invidia ejus doctrinæ, si qua est, divisa fuisset inter Paludanum, & Layman ; imo multo major pars obtigisset Dominicano Magistro, quàm Jesuitæ discipulo. Nunc autem totum odium in auctorem Societatis exoneratur: siquidem P. Concina non modo Paludani nomen propositioni damnandæ non præfixit, ut propter antiquitatem, & magisterium præfigere debuisset; sed præfixum a Laymanno satis subleste amputavit. An hæc simpliciter facta sint, ego valde dubito.

Sed ut videant Lectores, quàm exigua invidiæ pars Laymanno obtingeret, si ex æquo tribueretur in eos, quibus debetur: Ego detegam quinam fuerint Patri Laymanno Magistri in ea sententia, quorum aliqui ulterius etiam progressi sunt.

I. Paludanus Dominicanus in 4. dist.9. quæst.1. *Utrum autem ille, qui communicavit in Paschate, si illo anno moriturus sit, teneatur tunc iterum communicare? Videtur quod non ; quia a præcepto divino liberatus est semel in vita communicando, sicut semel confitendo : item a præcepto Ecclesiæ communicandi in Paschate illo anno. Sicut ergo non tenetur iterum confiteri ; ita nec communicare, ut videtur. Quod satis est rationabile, si non distat multum a communione ; puta quia eadem hebdomada, vel* QUINDENA (Laymanus extendit illud tempus ad summum ad DECEM dies) *ægrotat , quàm communicavit .*

II. Dominicus Soto Dominicanus in 4. distinc. 12. quæst.

quæst. 1. art. 11. *Nihilominus si hujusmodi infirmus homo esset, qui frequenter in sanitate Sacramentum sumeret; &, ut ait* PALUDANUS, *paulo ante sumpsisset, neque ullum præsentisceret criminis remorsum, sed puram putaret habere conscientiam; licèt non tantam adhiberet diligentiam ad sumendam Eucharistiam, sed sine illa decederet, non esset peccati mortalis condemnandus.*

III. Cajetanus Dominicanus in Summa, V. *Communio: Utrum autem in mortis articulo teneatur fidelis quisque communicare, in dubium non est vertendum: quoniam* CONSUETUDO ECCLESIÆ *hoc mandat* (Layman. cap. cit. num. 2. docet hoc esse de JURE DIVINO) *& procul dubio peccat, qui sine rationabili causa absque Viatico recedit. Si tamen contemptus dedit, non video rationem peccati mortalis, ex quo* PASCHALEM COMMUNIONEM (Laymanno hæc paschalis Communio non sufficit, si præcessit per longum tempus, idest, ut ipse ait, per MENSEM) *implevit.*

IV. Victoria Dominicanus in Summa num. 86. *Qui autem jam communicaverit in vita, &* SEMEL IN ANNO, (Laymanno hæc communio facta SEMEL IN ANNO non satis est) *in articulo mortis non communicans propter negligentiam quamdam, non peccabit mortaliter.*

V. Bartholomæus Fumus Dominicanus in Summa vulgo *Armilla*, V. *Communio* num. 4. *In mortis articulo tenetur homo communicare; quia sic habet* USUS ECCLESIÆ (Layman, ut dixi, docet id esse de JURE DIVINO,) *& dimittens peccat quidem; non tamen dimittens ob negligentiam videtur mortaliter peccare: quia Viaticum istud non est Sacramentum necessitatis; dummodo communicaverit quis* (hoc non satis est P. Layman) IN PASCHATE.

VI. Martinus Ledesma Dominicanus Par. 4. quæst. 21. a. 11. *Dubitatur secundo an sit de præcepto, quod ægrotantes sumant Eucharistiam? Ad hoc dicit* PALUDANUS, *quod si tales paulo post Pascha morerentur, & fuerunt*

runt communicati in Paschate non peccarent, licèt non sumerent Eucharistiam. Aliter autem peccarent. Tamen Sylvester dicit, quòd nullum est peccatum saltem mortale. Et ita *est tenendum, quia* NON EST ALIQUOD PRÆCEPTUM IN CONTRARIUM ...... *Præterea quod quis ægrotans ob negligentiam non sumeret Eucharistiam propter Ecclesiæ antiquam consuetudinem graviter peccaret;* VENIALITER *tamen citra contemptum. Unde stando* IN JURE DIVINO, SUFFICERET (Laymanno non sufficeret) SOLUM SEMEL IN ANNO COMMUNICARE.

Advertant modo Lectores. Layman, qui Dominicanorum opiniones multum temperavit, & circumscripsit, ponitur tum in Catalogo propositionum damnabilium, tum in Indice cum solito LAXE' DOCET. Sex laudati Dominicani, qui ultra progressi sunt, non modo non nominantur; sed, ut meliùs & securiùs delitescant, PALUDANI citatio a Laymanno suæ doctrinæ præfixa resecatur. Hæc est bona fides, & vacuitas a studio partium.

Nec quemquam moveat, quòd laudati Dominicani vel tacitè, vel expressè dicant id fore peccatum veniale. Nam primum id non dicunt de eo, qui paulo ante Communionem percepit, de quo solùm loquitur Layman; sed de eo qui SEMEL IN ANNO communicavit; quem Layman non solùm non liberat a VENIALI, sed neque a MORTALI. Deinde Layman hunc ipsum qui paulo ante, puta octo vel decem dies, communicavit, liberat a peccato, quantum est ex VI PRÆCEPTI DIRECTI, & quidem DIVINI de sumendo Viatico: cui putat satisfactum per Communionem sumptam ante octo, vel decem dies; quia videtur facta intra illud tempus, in quo obligat tale præceptum, ut egregiè explicat Magnus Suarez statim afferendus. Non tamen liberat a culpa veniali, orta ex negligentia, & prodigalitate spirituali, & similibus. Neque enim assignabitur verbum, quo Layman istam neget.

P. Con-

P. Concina hoc Tom.8. pag.320. ubi agitat hanc quæstionem, sententiam suam Laymanno oppositam appellat PROBABILIOREM, & COMMUNIOREM: nullum tamen patronum citat. Et innititur huic argumento. Quia Communio facta in sanitate, quamquam solùm ante octo vel decem dies, facta est extra tempus præcepti de sumendo Viatico: sicuti Communio sumpta Sabbato ante Dominicam Palmarum, peracta est extra tempus præcepti Paschalis. Ac proinde sicuti hæc iterum peragenda esset, ita & illa.

E contrario P. Suarez sententiam P Concinæ appellat NIMIS RIGIDAM, ET SCRUPULOSAM, ET NULLO AUCTORE SUFFULTAM. Et præoccupat, atque in antecessum dissolvit prædictum argumentum, solidè probando ex fine præcepti, Communionem illam esse peractam intra tempus præcepti: quia finis præcepti est, ut a Communione peracta PAULO ANTE MORTEM juvetur homo ad transitum ab hac vita: & illa Communio continetur intra hoc tempus, quo ita hominem juvare potest, ut patet de Viatico sumpto octo, vel decem dies ante mortem: neque obest, ut ipse probat, sanitas, & ignoratio mortis brevi futuræ. Audiamus ipsum disp.69. de Euchar. sect. 3.

Hæc sententia (P. Concinæ) NEQUE AB ULLO AUCTORE *expressè tradita est, nec videtur simpliciter amplectenda, quia* NIMIS RIGIDA, & SCRUPULOSA *videtur...... Aliter ergo explicari potest hæc obligatio per brevitatem, aut longitudinem temporis; ita ut sensus præcepti sit, ut homo teneatur* PAULO ANTE *mortem communicare: nam finis præcepti esse videtur, ut per communionem se ad transitum ex hac vita homo præparet; quod* SATIS ASSEQUITUR PAULO ANTE MORTEM COMMUNICANDO. *Quantum autem futurum sit illud tempus, prudenti arbitrio videtur relinquendum; ut si v. g.* OCTO, AUT DECEM *dierum esse censeatur .... Solùm adverto,* (quod advertit etiam Layman, sed P.

Con-

Concina sæpissimè non vult advertere) ALIUD ESSE, QUID CONSULENDUM SIT; ALIUD, QUID SUB OBLIGATIONEM CADAT. *Obligationi ergo censeo prædicto modo satisfieri, quia quando tempus est breve, jam periculum moraliter imminet*, QUOD IN RE VERE' EXISTIT, LICET HOMO ILLUD *IGNORET*: *& ideo censetur esse obligatio* IN RE IPSA, *quamvis homo ob ignorantiam excusetur. Quod tamen non obstat quominus homo per Communionem eo tempore factam illi obligationi satisfaciat. Eo vel maximè, quòd unusquisque in suis actibus censetur habere intentionem virtualem, & implicitam implendi omnem obligationem, quam potest, & debet, licèt fortasse eam ignoret* ...... DE CONSILIO *loquendo melius erit in simili eventu iterum semper in occurrente periculo communicare*.

Utri potius standum sit P. Concinæ an Suario, perpensis omnibus, quæ attulimus, Lectores sint arbitri. Ego more meo nihil definio. Sed satis mihi est ostendisse P. Concinam textum Laymanni artificiosè detruncasse.

CAPUT LXXXII.

Restituitur fama Patri Tamburino.

P. Concina Tom.8. pag.338.

Quid sentiendum de interpretatione P. TAMBURINI *in præceptum Concilii Tridentini confitendi* QUAMPRIMUM? *Respondeo. Si Sacerdos in peccato mortali celebravit, tenetur quamprimum confiteri, ut declaravit Concilium Tridentinum sess.13. cap.7. his verbis* „Quod „ si necessitate urgente Sacerdos absque prævia con„ fessione celebraverit, quamprimum confiteatur „. *Disputare non pauci* PROBABILISTÆ *cœperunt, num hoc præceptum sit, an merum consilium. P. Thomas Tam-*

Tamburinus de methodo Commun. cap. 1. §. 6. *num.* 49. *refert utramque sententiam & asserentem, & negantem præceptum latum esse a Tridentino ; & de more* VI PROBABILISMI *utramque probabilem adfirmat his verbis*. „ Equidem non possum priorem sententiam, agnoscentem in illis verbis præceptum sub mortali non „ fateri probabilem . Ajo tamen, & hanc non agno„ scentem esse probabilem „ *Hanc Tamburini opinionem, quam etiam alii docuerunt, ut Villaloby, Ledesma, Machadus, quos refert ex Diana P. Viva in Trutina num.* 1. *damnavit Alexander VII. in hac propositione num.* 38. „ Mandatum Tridentini factum Sacer„ doti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali „ confitendi quamprimum, est consilium, non præce„ ptum „. NULLO MODO ERGO PROBABILIS EST .

Opportunissima enim verò est hæc dialectica, qua infertur ex damnatione, opinionem illam NULLO ERGO MODO ESSE PROBABILEM . *Perinde ac siquis esset, qui affirmaret probabilem post damnationem* .



BOna fides, & rigidior Ethice postulabant, ut quemadmodum P. Concina publicè manifestavit erratum Tamburini, qui reputavit probabilem illam sententiam : sic etiam ad famam restituendam manifestaret retractationem, quæ ibi proximè habetur num. 54. his verbis.

Adversus doctrinam hanc olim a me bona fide traditam insurgunt hodie duæ propositiones ab Alexandro VII. damnatæ, CUI OMNINO PARENDUM EST.

Tamburinus nusquam, quod ego sciam, doctrinam hanc typis impresserat, nisi hoc ipso in loco, in quo ingenuè fatetur errorem suum, illumque retractat. P Concina ex libro impresso Tamburini errorem avidè arripuit; retractationem statim atque immediatè sequentem reliquit, & occultavit. Quod

Quod ait, Tamburinum VI PROBABILISMI utramque sententiam probabilem adfirmare, mihi videtur minus recte dictum. VIS PROBABILISMI non in eo posita est, ut hæc vel illa sententia, vel utraque ex oppositis reputetur probabilis. Reputare probabilem hanc, vel illam sententiam, vel utramque ex oppositis, commune esse potest Probabilistis, Probabilioristis, Benignistis, Rigoristis. Ut cuique mediocriter Theologo notum est. VIS PROBABILISMI in eo tantùm est: quòd ex duabus opinionibus practicè æquè probabilibus sequi possumus, quam libuerit; immo quod possumus sequi practicè probabilem faventem libertati in conspectu probabilioris faventis legi. Siquidem P. Concina adeo infensus est Probabilismo, ne jaculando erret, noscat saltem de facie inimicum suum.

Quod ait, opinionem Tamburini traditam fuisse etiam a LEDESMA; videtur parum. Opinionem negantem præceptum in laudatis verbis Tridentini Tamburinus adfirmavit solùm probabilem, & quidem cum retractatione statim adjecta, & a P. Concina suis Lectoribus non manifestata. LEDESMA Dominicanus eam opinionem adfirmavit PROBABILIOREM. Ita enim habet in summa Hispana part. 1. cap. 11. de Eucharistia paulo ante conclusionem 9. „ *Però a mi me parece cosa MUY MAS PROBABLE lo que tienen otros, che NO ES PRECEPTO* „. Quod tamen a me non dicetur factum VI PROBILIORISMI.

Sed siquidem de Ledesma mentio incidit: quæro hìc a P. Concina, cur in loco quem versamus, tum in titulo capitis, tum in proponenda quæstione nominatim posuit, & quidem diversis caracteribus, ne Lectorum oculos fugeret, solum Tamburinum, qui eam opinionem adfirmavit solùm PROBABILEM; non posuit vero Ledesmam Dominicanum, qui ultra progressus est; eamque opinionem pronunciavit MULTO PROBABILIOREM, MUY MAS PROBABLE? Cur non proposuit potius

quæ-

quæstionem sic. „ Quid sentiendum de interpretatione „ P. LEDESMA in præceptum Concilii Tridentini con-„ fitendi quamprimum? „ Cur propter hanc opinionem legitur in indice Tamburinus; Ledesma non legitur? Constringat fortiter, ne elabatur, WENDROCHIANAM EXCUSATIONEM.

Artificium hoc præfigendi sententiis solum nomen aliquorum Jesuitarum, vel ut in eos solos totam invidiam exoneret, vel ut imperitis earum opinionum laxitatem facilius persuadeat, familiarissimum est Patri Concinæ, ut sæpe animadvertimus. Aliud exemplum præterire non possum, quod habeo hic sub oculis citata pag. 338.

Antiqua est quæstio inter Theologos, & ferè statim post Tridentinum excitata, num supradictum præceptum eos solùm Sacerdotes afficiat, qui OB INOPIAM CONFESSARII, ut sonant verba legis, ET NECESSITATE URGENTE sine prævia confessione celebrarunt: an verò etiam eos, qui NULLA URGENTE NECESSITATE celebrare voluerunt absque confessione; ac proinde celebrarunt sacrilegè.

In hac quæstione ita scripsit amplius ante sæculum cum dimidio eximius Doctor Franciscus Suarez Tom.3. in 3. part. disp.66. sect.7. in fin.

Tertio declarandum est an Sacerdos, qui sine necessitate ob malitiam celebrat absque Confessione præmissa, hac lege comprehendatur. Videtur enim obligatus multo majori ratione. Nam si obligatur is, qui non peccavit omittendo Confessionem; cur non multo magis obligabitur is, qui peccando eam omisit? NIHILOMINUS *dicendum est, hujusmodi hominem non comprehendi hac lege. Quia Concilium solùm loquitur de illo, qui* NECESSITATE URGENTE *hoc facit. Lex autem positiva solùm obligat* PRO UT LATA EST: *& argumentum a paritate rationis in hac materia* EST INEFFICAX.

Et per eadem tempora ita scripsit Gabriel Vasquez Tom.3. in 3. part. disp.208. cap.3.

Jam vero videamus quo pacto hoc præceptum Concilii Tridentini obliget quamprimum finita Missa confiteri. Sunt autem tres Casus, in quorum uno tantum existimo, hoc præceptum Sacerdotes obligare. Primus est cùm Sacerdos sciens, & prudens, & habens copiam Confessarii noluit confiteri; & in hoc casu censeo, eum non obligari præcepto Concilii ad confitenda peccata quamprimum possit. Quoniam præceptum solùm latum fuit pro iis, qui non habentes copiam Confessarii antequam accederent ad celebrandum, URGENTE NECESSITATE *sine Confessione ad Altare accesserunt, & celebrarunt; ut ex littera patet. Et certè* MAJOR RATIO *fuit, ut pro iis ferretur, ne prætextu illo diu differrent Confessionem, & in peccato celebrarent; sed elapsa illa occasione Confessarium quærerent. Nam qui scienter habita copia noluit confiteri, non indigebat hoc novo præcepto, cui satis deberet esse divinum de præmittenda Confessione.*

Eamdem sententiam, & propter easdem rationes tenent NUGNUS Dominicanus de Sacram. Tom.2 quæst. 80. art.4. difficult.4. concl.2. Illustrissimus ARAUXO Dominicanus Episcopus Segobiensis in 3. par. qu.80. a.4. nu. 29. Villalobos Franciscanus Tr.7. difficult. 37. nu.9 Card. de Lugo disp.14. de Euch. sect.7. nu.149. & 150. Franciscus de Lugo Frater de Sacram. lib.4. cap.6. qu.8. n.70. Filliuccius Tr. 4. de Euchar. cap.8. num.223. Granado in 3. part. contr.6. Tr. 10. disp. 7. n. 15. Diana coordinatus Tom.1. Tr.3. Resol.172. Mercerus de Sacram. quæst.80. art.4. dub.30. Stephanus a S. Gregorio de Sacram. lib.3. cap.26. num.12. Thomas Hurtado Tom.1. Tract.3. cap.1. Resol.14. num.62. Bonacina de Sacram. Euch. disp 4. qu. 6. part.1. n.38. Leander Tom. 2. Tr.7. disp.7. qu. 51. Et demum alii plurimi; itaut hæc sententia appelletur passim ab Auctoribus communissima; & merito: nam cùm a tam multis Theologis, & quidem non levibus propugnetur, non invenio citatos contra ipsam nisi Sylvium, Wiggers, & Zanardum Dominicanum, quem P. Concina non magni facit. Audi-

Audite nunc quàm conviciosè loquatur P. Daniel Concina de sententia tot gravium Theologorum; &, quod propius rem nostram attingit, quàm artificiosè conetur totam invidiam, si qua est, exonerare in solos La-Croix, & Vivam, perinde ac si essent inventores, & antesignani antiquæ hujus sententiæ. Ejus verba referam brevissimis animadversionibus interjectis.

Quid dicendum de interpretatione P. CLAUDII LA-CROIX, P. VIVA, *& aliorum in præfatum Tridentini præceptum?*

Cur nominatim & diversis characteribus, ne Lectorum oculos fugerent, P. CLAUDII LA-CROIX, P. VIVA? Et non potius NUGNI Dominicani, ARAUXO Dominicani; & si parcitum Dominicanis voluit; cur non Suarii, Vasquii, Dianæ, Bonacinæ, & sic de reliquis supra citatis, qui La-Croisio, & Vivæ præiverunt.

Respondeo. COMMENTUM *exponendum est, ut mihi videtur*, VALDE LAXUM, ET PEREGRINUM.

Utrum jure videatur P. Concinæ COMMENTUM VALDE LAXUM sententia, quæ incipiendo a Suarez, & Vasquez, communissima est inter Theologos cujuslibet conditionis, & Instituti, Lectores judicent. Ego de laxitate, rigore, veritate, vel falsitate opinionum in hoc opusculo more meo nihil definio. Nescio tamen cur vocetur Commentum PEREGRINUM illa sententia, quæ non tum primum a La-Croisio, & Viva introducta est; sed jam inde a temporibus Patris Suarez theologica civitate donari cœpit.

P. Claudius La-Croix cum pluribus aliis in disputationem vocat, num Sacerdos peccati mortalis conscius, qui Confessarii copiam habens, celebret non præmissa Confessione, teneatur quamprimum confiteri vi præcepti Tridentini.

Sæculum, & amplius ante Patrem La-Croix id vocaverant in disputationem P. Suarez, P. Vasquez, & alii; & cum istis negantem sententiam communissimè Theologi amplexi sunt.

 Vi-

Video, te commoveri, Lector Christiane, ob hoc solùm quod in controversiam id adduci audias.

Si Lector Christianus sit quidam Sciolus, imperitus, Jesuitarum osor, & qui solum P. Concinam legerit, fortasse commovebitur contra Patrem La-Croix. Si doctus sit, & noverit, id esse adductum in controversiam a summis Theologis fere statim post Tridentinum; & negantem sententiam ab iis usque temporibus communiter apud Theologos cujuscumque Instituti obtinuisse; commovebitur fortasse contra alium quemdam.

QUID? *Tenentur quamprimum confiteri Sacerdotes, qui urgente necessitate carentes copia Confessarii nequeunt confiteri: & ab hoc præcepto immunes erunt, qui Confessarios obvios habentes ex mera malitia confiteri recusant?*

Ciceriorianum illud QUID? quod tam sæpe usurpat P. Concina; ut illud videatur tamquam filiolum osculari suum; præoccupaverant jam, & dissolverant P. Suarez, & P. Vasquez verbis supra relatis, quæ, rogo, ut relegantur.

CUINAM *in mentem venire potest* TAM PEREGRINUM INTERPRETAMENTUM.

CUINAM? Nugno Dominicano; Illustrissimo Arauxo Dominicano; Nescio cui Francisco Suarez; nescio cui Gabriel Vasquez, nescio cui Cardinali de Lugo, nescio cui Bonacinæ, nescio cui Dianæ, nescio cui Thomæ Hurtado; Demum omnibus supra laudatis, & communissimè omnibus Theologis, si tres, vel quatuor excipias.

Audi quæ scribit P. LA-CROIX lib. 6. p. 1. de Euch. num. 546. §. 4. Integrum licet prolixum COMMENTUM *transcribo, ne* ADVERSARII DE MORE CLAMITENT, TRUNCATUM ESSE TEXTUM.

P. LA-CROIX scribit, quæ ante ipsum scripserant fere omnes Theologi, ducendo initium a PP. Suarez, & Vasquez. ADVERSARII verò non clamitant, truncatos esse textus, nisi cum IN DAMNUM AUCTORUM re ipsa truncati sunt.

Hec

Hæc opinio, SALVO MELIORI JUDICIO, FALSA, IMPROBABILIS, ET LAXA NIMIUM *mihi videtur, & in nihilum redigit Tridentinum præceptum*.

Talis non est visa Suario, Vasquio, Nugno, Arauxo, Bonacinæ, Dianæ, Card. de Lugo, ac tot Theologis supra laudatis, quorum judicium fortè non omnibus videbitur contemnendum.

Sed quid diutius immoror in LAXA *opinione convellenda, quam* COMMUNIS SENSUS DETESTARI VIDETUR TAMQUAM NIMIS CAPTIOSAM?

Vel loquitur de COMMUNI SENSU THEOLOGORUM, vel de COMMUNI SENSU HOMINUM ab ipso naturæ lumine proficiscente. Si de primo; id falsum est; nam COMMUNIS SENSUS THEOLOGORUM eam opinionem adoptat; & tres solùm vel quatuor illam reiiciunt, non tamen DETESTANTUR; hujusmodi enim verba ante P. Concinam Theologis non erant nota. Si de secundo: ergo COMMUNI SENSU caruerunt, & DETESTABILEM, AC NIMIS CAPTIOSAM opinionem docuerunt Suarez, Vasquez, NUGNUS, Arauxo, Bonacina, Diana, Card. de Lugo, & ne tædio Lectores afficiam, fere omnes Theologi.

Hæc retuli, ut idemtidem Lectoribus specimen darem, cujusmodi sint, & quibus Auctoribus commendentur sententiæ, quas conviciorum plaustris P. Concina onerat; propter quas fere solos La-Croix, & Vivam exagitat; eorumque nominibus vel ipse, vel quicumque sit alius, tam multas in indicibus laxitates attexit.

Videsis Caput sequens.

ob aliam rationem petitam a fine legis, quam infra attingemus. En Vasquii verba loco quem citavimus Capite Superiori.

Secundo accidere potest, ut Sacerdos habeat quidem copiam Confessarii, & illi sit confessus antequam accedat ad altare, postea tamen RECORDETUR *alterius peccati non explicati in confessione: aut putans se non habere mortale ei non confiteatur:* IN IPSA TAMEN ACTIONE CELEBRANDI RECORDETUR (non dicit COMMITTAT, ut imposuit P. Concina) *alicujus mortalis: ne tamen incurrat notam, non confitetur; neque confessarium vocat cùm possit. Et in hoc casu aliqui recentiores putant hoc præceptum Concilii obligare.... Ego verò puto in hoc secundo Casu etiamsi ante sumptum Sacramentum quis* RECORDETUR *alicujus mortalis, illud tamen non confiteatur, non* QUIA DESIT COPIA CONFESSARII, *neque prætextu illius, sed ne incurrat infamiæ notam, Sacerdotem non teneri præcepto Tridentini.*

De Sacerdote verò PERPETRANTE SCELUS, DUM SACRIFICIUM DEO IMMOLAT, neque hìc, neque uspiam verbum habet; vel P. Concina doceat UBI.

Hanc autem suam assertionem probat Vasquez tripliciter.

Primo, ut dicebam, ex verbis legis, quæ loquitur solùm de eo qui celebrat URGENTE NECESSITATE, & Confessionem non præmittit OB INOPIAM CONFESSARII. Lex verò positiva obligat solùm, ut ajebat Suarez, PROUT LATA EST.

Secundò ex FINE LEGIS. Finis enim fuit, ne Sacerdotes, præsertim ruri commorantes, ob inopiam confessarii sæpius celebrarent cum sola contritione, negligentiores fierent in quærendo confessario, & diutius confessionem differrent. Quod timeri non ita poterat in Sacerdotibus habentibus copiam Confessarii, quia isti sufficienter obligantur a præcepto divino, sine nova positiva lege, ad præmittendam confessionem celebrationi, si peccati mortalis sibi conscii sint. Ter-

Tertiò ex Rubricis Missalis Romani de defectibus animæ: ubi enumerantur duo casus. Primus est, quando quis non habens copiam Confessarii urgente necessitate celebrat, & huic ponitur necessaria contritio, ET CONFITERI QUAMPRIMUM. Secundus est, cùm quis in altari RECORDATUR alicujus peccati, & quamvis habeat copiam Confessarii, illum tamen non advocat ob metum infamiæ, & huic ponitur quidem necessaria contritio, sed non fit mentio Præcepti DE CONFITENDO QUAMPRIMUM. Quod signum est, ait Vasquez, Pontificem approbantem eas Rubricas intellexisse, Præceptum Tridentini in primo solo casu locum habere.

Perpendant, quæso, lectores has rationes, animadvertant etiam cujus notæ Auctores sint, qui hanc opinionem tuentur: & deinde ipsi judicent, num sententia restringens præceptum Tridentini ad eos tantùm, quos comprehendunt verba ipsa legis, mereatur ornari a P. Daniele Concina iis præconiis, COMMENTUM VALDE LAXUM, & PEREGRINUM; FALSA, IMPROBABILIS, NIMIUM LAXA; A COMMUNI SENSU DETESTATA, CAPTIOSA, INAUDITUM PARADOXON, ET INCREDIBILE. Venustissimis hisce floribus conspersa est tota isthæc Christiana Theologia.

Demum ne P. Concina exprobrare pergat PROBABILISTIS, præsertim Jesuitis; quòd nolint extendere mandatum Tridentini nisi ad eos, de quibus loquuntur verba legis: Audiat suum GONETUM Dominicanum acerrimum ANTIPROBABILISTAM Disput.9. de Euch. n.29. ubi sic.

Quærunt hic Theologi, quos NOVUM *hoc præceptum, quod Ecclesiasticum est, comprehendat; an solos Sacerdotes, vel etiam laicos* (Hos quoque comprehendi contendit P. Concina ob suam paritatem rationis) *Respondeo breviter, sub hoc novo præcepto non comprehendi nisi solos Sacerdotes celebrantes.* QUIA CUM SIT POENALE, EXTENDI NON DEBET NISI AD EOS, AD QUOS

VER-

VERBA LEGISLATORIS IN PROPRIA SIGNIFICATIONE SUMPTA SE EXTENDUNT. *At verba Concilii non se extendunt nisi ad Sacerdotes celebrantes, ut patet ex ipso textu: colligiturque* EX FINE PRÆCEPTI, *qui est, ne Sacerdotes, quibus ex officio celebrare incumbit*, PRÆTEXTU URGENTIS NECESSITATIS SÆPE CELEBRENT PRÆTERMISSA CONFESSIONE SACRAMENTALI.

Video, Gonetum quæstionem instituere de solis Laicis: duo tamen advertenda sunt.

Primum. Gonetus constituit illud principium, quod in auctoribus Probabilistis P. Concina tam acriter insectatur. Nempe PRÆCEPTUM TRIDENTINI, CUM SIT POENALE, EXTENDI NON DEBET NISI AD EOS, AD QUOS VERBA LEGISLATORIS IN PROPRIA SIGNIFICATIONE SUMPTA SE EXTENDUNT. Cui principio si subnectantur istæ evidentes minores: Atqui verba Legislatoris IN PROPRIA SIGNIFICATIONE SUMPTA non se extendunt ad Sacerdotes, qui cum habeant copiam Confessarii, nulla premuntur urgenti necessitate celebrandi sine Confessione præmissa, ideoque illam omittunt malitiosè, & sacrilegè celebrant: non se extendunt ad Sacerdotes, qui recordantes in ipsa celebratione alicujus peccati, Confessarium, cujus habent copiam, non advocant ob metum infamiæ: Imò non se extendunt ad Sacerdotem perpetrantem scelus DUM SACRIFICIUM DEO IMMOLAT, si non habeat copiam Confessarii, cui confiteri possit antequam Missam prosequatur: si, inquam, illi principio subnectantur istæ evidentes minores; ex Doctrina Goneti DOMINICANI & ANTIPROBABILISTÆ; immediatè & evidenter sequentur omnes supradictæ opiniones COMMENTA VALDE LAXA & PEREGRINA, FALSÆ, IMPROBABILES, NIMIUM LAXÆ, A COMMUNI SENSU DETESTATÆ, NIMIS CAPTIOSÆ, PARADOXA INAUDITA.

Secundum. Gonetus docet, quemadmodum Vasquez, FINEM LEGIS esse, ne Sacerdotes prætextu urgentis necessitatis sæpe celebrent prætermissa Confessione Sacramentali. Addo minorem. Atqui Sacerdotes HABENTES COPIAM CONFESSARII, ideoque NULLA PRESSI NECESSITATE omittendi Confessionem, AD HUNC FINEM non indigebant hoc novo præcepto: quia si HABENT COPIAM CONFESSARII jam obligantur sufficientissimè a præcepto divino ad non celebrandum, sine Confessione Sacramentali præmissa. Ergo ex Doctrina Goneti Præceptum Tridentini istos non comprehendit.

Vides, amice lector, Gonetum antiprobabilistam docere EXPRESSE contra P Concinam, Laicos non comprehendi; docere verò IMPLICITE & re ipsa quod docent cum Suario, Vasquio, & communissima Theologorum La Croix & Viva. Gonetum tamen neque in corpore Tomi P. Concinæ, neque in indicibus leges.

CAPUT LXXXIV.

Restituitur suæ integritati sententia Tamburini.

P. CONCINA Tom.8. pag.344.

Nimis laxa quoque est opinio Tamburini de Meth. Comm. cap.1. n.63. & Leandri quæst.18. qui docent, posse Laicum assidentem cum aliis scamno seu mensæ Communionis Eucharistiam suscipere non præmissa confessione lethalis culpæ, cujus recordatur, etiamsi absque scandalo recedere valeat,

Non

* * * * * * * *

NOn est erratum, si velis, magni momenti, nihilominus non exponitur integrè & sincerè sententia Tamburini. Tamburinus enim non loquitur indefinitè & universaliter de quacumque culpa lethali, cujus quis recordetur: e. g. de culpa lethali, post quam ille numquam confessionem peregerit, quòd esset durius. Sed loquitur definitè de culpa lethali non manifestata per oblivionem in Confessione præmissa, & in ea indirectè absoluta, quòd est minus durum. En titulum illius paragraphi.

De eo, qui ante communionem recordatur peccati IN-DIRECTE ABSOLUTI.

Rationem verò, cur hunc liberet ab obligatione recedendi, etsi possit sine scandalo, Tamburinus sic exponit.

Ratio est, quia ex una parte irreverenter se gereret inchoatam quasi actionem sine clara necessitate relinquendo: sicuti non benè moratè se gereret, qui invitatus a rege, ubi sedit ad mensam vellet vel ad leve tempus recedere: Et ex alia parte non apparet clara necessitas: quia hic jam est JUSTUS, BENEQUE DISPOSITUS PROPTER ABSOLUTIONEM INDIRECTAM TALIS PECCATI.

Quòd si P. Concina scire cupiat, quisnam loquatur laxiùs quàm Tamburinus, statim dicam.

Victoria Dominicanus in summa num 79. ubi idem docet non tantùm de Laico, sed etiam de Sacerdote, & quidem non cohibendo ac restringendo doctrinam ad peccatum INDIRECTE REMISSUM. Cùm enim dixisset, Sacerdotem, qui inchoata missa recordatur alicujus lethalis, nec addit INDIRECTE REMISSI, non teneri præmittere confessionem, etsi possit absque scandalo, subdit.

Idem dicendum est de His, qui sunt ibi parati ad recipiendam Eucharistiam, qui si recordati fuerint alicujus

mortalis, SECURE *possunt communicare etiam ante confessionem* PROPTER REVERENTIAM SACRAMENTI. *Nec de hoc dubito.*

Victoriam magistrum nusquam lego. Tamburinum discipulum, qui Magistri doctrinam temperavit, tum hic, tum in indice lego cum consueto LAXE' DOCET. Nova semper habemus documenta Concinianæ vacuitatis a studio partium.

Prædictam Sententiam Victoriæ, & deinde Tamburini optimè impugnat Eximius Suarez Tomo 3. in 3. p. Disput 66. sect 4. Ubi advertit, irreverentiam illam, in qua vim faciunt, tam parvi esse momenti, ut propter majorem causam contemnenda videatur.

CAPUT LXXXV.

Vindicatur ab impostura idem Tamburinus.

P. Concina Tomo 8. in *Indice.*

Tamburinus (P. Thomas) LAXE' *quotidianam communionem omnibus peccato lethali inquinatis* CONCEDIT.

§**§§**§§**§

EVidentem hanc imposturam non possum melius lectorum oculis subjicere, quàm recitando verba Tamburini in Methodo Communionis Cap.1. §.undecimo, ubi sic.

Licere communionem quotidianam laico etiam uxorato, immo eam vetare illi nec Confessarium, nec Superiorem posse, quia cùm Christus Dominus omnibus qui peccati mortalis sibi conscii non sunt, sive cum magno sive cum parvo devotionis affectu, liberaliter concessit, docet CUM PAUCIS *Joannes Sanchez in selectis disput.22. Negat* CUM ALIIS MULTIS *Joannes de Lugo disput.17. de Eucharistia sect.2. solumque concedit maxima* fer-

fervoris spiritu accensis, Sanctæ Catharinæ, & similibus. Lege eos, si hanc quæstionem latè discussam videre in animo est. Nos breviter NEGANTEM SENTENTIAM *amplectimur, quia putamus id cedere majori reverentiæ Sacramenti. Affirmans opinio illud a Confessariis obtineat, ut Fidelibus Sacram Communionem (non dicit* QUOTIDIANAM, *aliter sibi statim & immediatè contradiceret, quare significare non potest, nisi* FREQUENTEM) *appetentibus, sive etiam solùm petentibus sese faciles in posterum exhibeant.*

Facile crescet census laxitatum attextus Tamburino, si cum iste disertissimè amplectatur SENTENTIAM NEGANTEM, in indice ponatur CONCEDIT.

CAPUT LXXXVI.

Vindicatur ab injusta criminatione P. Viva.

P. Concina Tom. 9. pag. 86.

Quam sint falsæ, & INTEMPERATÆ CENSURÆ *PP. Dominici VIVA; Balthassaris Francolini, & aliorum plurium Casuistarum in sententiam exigentem* AMOREM INITIALEM.

Ut methodo mihi præstitutæ insistam, & quam PERPETUO SERVARE SOLEO (*utinam illam servarent adversarii mei*) *priusquam quidquam pronunciem adversus P. Dominicum* VIVA, *illius verba* SINCERE' ET INTEGRE' *transcribo. In suo cursu Theologico Tom. 2. p. 6. qu. 3. art. 2. num. 6. P. Dominicus Viva hæc scribit.* „ Ex verbis Tridentini si minus de fide, certum tamen moraliter est, attritionem cum Sacramento satis esse ad justificationem .... Non nego plures Do-

ctores

„ ctores ante Tridentinum, immo aliquos post Tri-
„ dentinum asserere, attritionem non esse sufficien-
„ tem ad justificandum cum Sacramento. Verùm post
„ Tridentinum tamquam IMPROBABILIS reijcitur
„ communissimè, ut constat ex iis, quæ fusè dixi in
„ Trutina theologica...... Fuit quidem opinio probabi-
„ lis ante Tridentinum suffulta auctoritate magnorum
„ Virorum; sed post Tridentinum omnem probabili-
„ tatem amisit: SICUT plures opiniones, quæ quon-
„ dam probabiles fuerunt; postquam a Pontificibus
„ damnatæ sunt, probabilitatem omnem exuerunt. „

Tandem aliquando (pergit ironicè, & per Sarcasmum P. Concina) *coercitam, & limitatam videmus amplissimam* Probabilismi *jurisdictionem. Omnem probabilitatem amisit doctrina Charitatis inchoatæ necessariæ ad peccatoris justificationem in Sacramento Pœnitentiæ: Et hanc probabilitatem amisit,* SICUT *illam amisere plures opiniones postquam damnatæ sunt a Pontificibus. En quam* MODESTÆ, *quam* TEMPERATÆ, *quam* OBSEQUIOSÆ *erga Alexandrum VII. sunt* CENSURÆ *Patris Viva ......*

Insurgit P. Viva in sua Trutina in propos. 15. damnatam ab Alex. VIII. suasque CENSURAS *sic defendit a prohibitione Decreti Alex. VII.* „ Ex quo perspicuum
„ est præceptum illud in virtute S. Obedientiæ, ne
„ censura ulla his opinionibus inuratur, non impedire,
„ quominus aliqua ex iis dici possit IMPROBABILIS,
„ & falsa; ut docent Theologi communiter „. ADMITTO DOCTRINAM HANC. *At cùr eam non admittunt Probabilistæ in aliarum opinionum* CENSURIS? *Cur quando reijcimus tamquam improbabiles, falsas, & nimium laxas innumeras Probabilistarum opiniones, continuo obtrudunt Decretum Innoc. XI. quo cavetur ne censura, nota, aut convicio notentur propositiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur? .....*

Q

Quid plura P. Viva ultra pergit. Docet ITA *improbabilem esse sententiam nostram, & exuisse omnem probabilitatem;* SICUT *plures opiniones, postquam a Pontificibus damnatæ sunt. Eodem ergo loco, Judice sedente P. Viva, habenda est hæc nostra de* ATTRITIONE INITIALI (voluit dicere de CARITATE INITIALI) *sententia, quo habentur propositiones ab Ecclesia damnatæ. Et dum talia scribit P. Viva, obsequium, & obedientiam exactissimam se præstare credit Alexandrino Decreto. Judicent autem æqui rerum æstimatores, quò* PARTIUM STUDIUM, *& impotens erga opiniones minus probabiles* INVETERATUS AMOR *impellat.*



UTrum P. Concina perpetuo servet hanc methodum, ut sententias Jesuitarum SINCERE' & INTEGRE' transcribat, satis jam, credo, patet. Veniamus ad falsam, & injustam criminationem.

Observandum tamen est prius diligenter, Patrem Vivam non loqui de quacumque sententia exigente AMOREM INITIALEM, ut sonant verba P. Concinæ: sed de illa solùm, quæ nomine AMORIS INITIALIS intelligit amorem Dei propter se benevolum, & super omnia; sive appretiativè summum, quamquam intensivè remissum. Hanc Pat. Viva, & alii dicunt improbabilem, quia putant omnem hujusmodi amorem justificare extra Sacramentum, freti tum auctoritate Scripturæ, & Concilii Tridentini, tum damnatione propositionum Baii. In quo rectè ne an secus sentiant, ego non disputo, sed eorum tantùm mentem sincerè refero. Ceterum sententiam exigentem AMOREM INITIALEM; & nomine hujus amoris intelligentem aut amorem concupiscentiæ inclusum in spe, aut propositum servandi totam legem, adeoque servandi primum, & maximum mandatum; sive propositum amandi Deum inposterum

super

super omnia, quod propositum est initium quoddam amoris: talem, inquam, sententiam P. Viva non modo non vocat improbabilem, sed ultro amplectitur, ut patere potest cuilibet legenti ipsum in Trutina ad propositionem 15. Alexandri VIII. num. 32.

Hoc observato: Falsum omnino est Patrem Vivam censurare; & multo magis est falsum, censurare INTEMPERANTER. Ratio. Nam P. Viva non aliud tandem piaculum admisit, nisi vocare IMPROBABILEM sententiam asserentem, necessarium esse ad justificationem in Sacramento amorem benevolum Dei propter se, & super omnia, sive appretiativè summum, licèt intensivè remissum. Porro IMPROBABILIS tantum abest, ut sit CENSURA INTEMPERATA; ut ne sit quidem CENSURA.

Primo. Quia in nulla Pontificia Constitutione damnante propositiones inveniet P. Concina hujusmodi censuræ genus.

Secundo. Quia gravissimi Theologi, quos citat, & sequitur eximius Doctor Franciscus Suarez de fide disp 19. sect.2. enumerantes, atque explicantes censuras theologicas, nusquam inter illas recensent IMPROBABILE.

Tertio. Quia alii Theologi communiter non modo non recensent IMPROBABILE inter censuras; sed illud expressè a censuris excludunt; ut videre est apud La-Croix lib.1. num.199. & lib.6. part. 2. num 875. Audiatur Cardenas, quem doctissimum esse P. Concina ultro fatetur. Is igitur in prima Crisi disput.9. num.257. hæc habet.

His accedit, quod IMPROBABILE *non est censura theologica, ut notavit P. Hurtado 2. 2. disp.81. §.46. addens §. 41.* TEMERARIAM *esse levissimum genus censuræ theologicæ. Et in Indice expurgatorio Inquisitionis Hispanicæ in regulis generalibus regula 16. ponuntur omnes censuræ theologicæ, ob quas expunguntur propositiones; & non fit mentio propositionis* IMPROBABILIS *Et quidem in materia morum aliquæ sunt opiniones* STRICTÆ *improbabiles; quæ tamen, quia non scandalum generant, sicut*

ent LAXÆ improbabiles: ideo non damnantur ab Inquisitione.

At etiam P. Concina ADMITTIT DOCTRINAM HANC. Sed per Superos omnes, SI ADMITTIT, ut ipse profitetur, DOCTRINAM HANC: ideſt ſi admittit, IMPROBABILE ne eſſe quidem CENSURAM, & ideo non vetari ab Alexandro VII. vetante cœteroquin CENSURAS: Cur ſcribit QUAM SINT INTEMPERATÆ CENSURÆ P. VIVA? Cur ſcribit EN QUAM MODESTÆ, QUAM TEMPERATÆ, QUAM OBSEQUIOSÆ ERGA ALEX. VII. SUNT CENSURÆ P. VIVA? Cur ſcribit P. VIVAM SUAS CENSURAS SIC DEFENDERE? Cur Sarcaſmis, & ironiis inſectatur P. Vivam PROPTER CENSURAS? Cur illum PROPTER CENSURAS violati Alexandrini Decreti reum poſtulat?

Paucis. IMPROBABILE, vel cenſura eſt, vel non eſt. Si eſt; Cur P. Concina ADMITTIT ILLAM DOCTRINAM, quæ docet non eſſe? Si non eſt: Cur calumniatur Vivam, tamquam utentem INTEMPERATIS CENSURIS? Extricet hæc qui poteſt.

Quod quærit P. Concina, cur eamdem doctrinam non admittant Probabiliſtæ in aliarum opinionum cenſuris: quæro ego, Putat ne eſſe idem appellare una vice unam ſententiam improbabilem; & qualibet fere pagina appellare omnes, quæ non arrident, quamvis multis, ac magnis Auctoribus commendentur; appellare, inquam, LAXAS, LAXISSIMAS, LAXITATIS PLENAS, HORRENDAS, PIIS AURIBUS HORROREM INCUTIENTES, SCANDALI PLENAS, SCANDALI PLENISSIMAS, PORTENTOSAS, DE SENTINA PROBABILITATIS EFFLUENTES, ERRONEA COMMENTA, MONSTRA, PARADOXA INAUDITA; & his ſimilia? IMPROBABILE non eſſe cenſuram, ac proinde non vetari ab Alexandrino Decreto, etiam ipſe cum omnibus Theologis ultro concedit. Po-

test ne æquo jure concedere laudatas venustates, quibus tamquam pigmentis illita est tota sua Theologia, non esse vel censuras verè theologicas, vel inurbana convicia, quæ in virtute S. Obedientiæ vetantur a Decreto Innocentiano? Et tamen cùm illa impingere huic vel illi sententiæ sibi religioni non vertat; modo tam delicatis est auribus, ut ad voculam IMPROBABILITATIS commoveatur; & contra P. Vivam, quia illam adhibuit, tot rumores cieat.

At Decretum Innocentianum, ait P. Concina, non loquitur de sententiis, quas defendit hic & ille Casuista; sed de iis solùm, quas defendunt integræ scholæ inter se dissidentes, ut essent exempli causa Decreta prædeterminantia, Scientia media, Decreta concomitantia, & his similia.

Primùm, si quis Jesuita uteretur hac interpretatione, clamaret statim P. Concina, eludi distinctiunculis Decreta Pontificia; nullam legem admissis hujusmodi interpretamentis posse consistere, ut sæpe clamat, quando id e re sua esse ducit.

Deinde illa interpretatio nullo nititur fundamento. Decretum non dicit „ Propositiones, quæ adhuc inter SCHOLAS CATHOLICAS hinc inde controvertuntur „ Sed „ Quæ adhuc inter Catholicos „ Quæ ratio est coercendi Decretum, & explicandi de solis propositionibus, quæ inter Scholas Catholicas disputantur? Controverti verò inter Catholicos plurimas opiniones, quas P. Concina, vel theologicis censuris, vel turpissimis conviciis dehonestat, manifestum est. Cùm neque ab Ecclesia proscriptæ sint, & a multis propugnentur, & non raro sint communissimæ; ut de non paucis in hoc opusculo, cùm se tulit occasio, palam feci: quamquam ipsis consueto artificio sola nomina Tamburini, Vivæ, La-Croisu præfigantur.

Demum præfata interpretatio satis propulsatur a fine Decreti. Finis enim est, quemadmodum ait Pontifex, ut paci, & charitati consulatur. Porro Pax, & Charitas

tas, ipsa experientia teste, non minus violantur per censuras, & convicia in propositiones primi generis, quàm in propositiones secundi.

Quod carpit P. Vivam, quia scripsit, sententiam requirentem ad justificationem in Sacramento amorem Dei benevolum propter se, & super omnia, amisisse probabilitatem, SICUTI amiserunt multæ propositiones postea damnatæ ab Ecclesia, est mera cavillatio. Vel Logici primorum mensium norunt, particulam SICUT non semper afferre secum perfectam, & omnimodam similitudinem. Itaque similitudo illa in his limitibus sistit: Quod SICUT multæ propositiones probabiles, per aliquid supervenienѕ, nempe per damnationem Ecclesiæ, factæ sunt improbabiles: Ita illa sententia olim probabilis, per aliquod superveniens, nempe per argumenta theologica ex Tridentino petita, facta est improbabilis. Neque excurrit ad comparanda inter se, & exæquanda illa, quæ decursu temporis supervenerunt. Neque enim P. Viva ita insanit, ut putet, tantum habere ponderis argumenta illa, quæ, ut ipse disertè ait, pariunt solùm certitudinem moralem, quantum ponderis habent Ecclesiæ definitiones, quæ pariunt certitudinem infallibilem.

Quod verò P. Viva hæc scripserit impulsus A STUDIO PARTIUM, ET AB IMPOTENTI INVETERATO ERGA OPINIONES MINUS PROBABILES AMORE, in primis istæ sunt consuetæ urbanitates, quibus P. Concina obsequium, & obedientiam exactissimam se præstare credit Innocentiano Decreto. Deinde non video, cur opinionem de sufficientia attritionis appellet MINUS PROBABILEM. Certè Alexander VII. dixit esse inter Scholasticos communiorem: Et ignoro, utrum post Alexandrum ullum novum argumentum contra ipsam inventum sit; aut ulla nova solutio ad argumenta probantia certitudinem ejus moralem. Quæ certitudo prius est destruenda; & tunc ea sententia non poterit deduci ad praxim in conferendo, vel suscipien-

do Pœnitentiæ Sacramento, juxta Decretum Innoc. XI. Sed hæc non pertinent ad præsens Institutum. Qui videre velit eam sententiam ab Eminentissimo, ac Doctissimo Probabiliorista hisce nostris temporibus propugnatam, adeat Cardinalem Gotti Tract. de Pœnitentia dub. 4. §. 2.

CAPUT LXXXVII.

Vindicantur a pluribus imposturis Francolinus & La-Croix.

P. CONCINA Tom. 9. pag. 256.

Quid dicendum de censura, quam P. Francolinus inurit Episcopo Gennet; quia is vult propositum esse FIRMUM ET CONSTANS? (Propter hoc solùm terminos Francolinus nullam censuram inurit; sed propter hos terminos, ut illos explicat & intelligit Episcopus Gennet, quæ explicatio a Patre Concina occultata est) *Respondeo. P. Balthasar Francolinus in suo Clerico Romano lib. 2. Calumnia* 10. *distinctione* (debuit dicere disputatione) 10. *num. 26. pag. 99. Venetæ editionis Episcopum Gennet appellat rigidissimæ Doctrinæ auctorem; præsertim quòd pro contritione requirat propositum* FIRMUM AC STABILE (Jam dixi, propter hoc tantùm non esse verum) *Hæc sunt P. Francolini verba.* ,, Franciscus Gennetus in sua recentissima Theologia morali ,, edita Parisiis anno 1703. Ex pluribus exemplis rigidissimæ ipsius Doctrinæ, unde gravia sequantur absurda, unum afferam ex Tomo 4. Tract. 6. De Sacramento Poenitentiæ, ubi cap. 5. quæst. 19. docet: Ad ,, veram contritionem in hoc Sacramento requisitam, ,, esse necessarium constans propositum; non, inquit

,, pro-

„ propositum, sed CONSTANS PROPOSITUM; „ idque debere innotescere confessario, antequam absolvat „. (occultantur hic multa alia Francolini, quæ summopere faciunt ad rem, ut videbimus.)

Redarguit iterum P. Francolinus Gennetum, quòd moneat, non esse sæpe credendum lachrymis Peccatorum. Hæc sunt Francolini verba loco citato. „ His enim non esse „ credendum satis docet capite 5. quæst.21. audi pul- „ chram rationem. Nam sæpe lachrymæ proveniunt, „ inquit Gennet, ab humano prorsus affectu, vel ex „ imaginatione objecto aliquo insolito commota. „

Ex his Doctrinis Episcopi Genneti plura absurda elicit P. Francolinus; deinde ibidem num.27. exclamans concludit. „ Quis umquam audivit tam absurdas doctrinas, „ tam SEVERAS? „

Heu quis unquam audivit tam ABSURDA PARADOXA, CONTRARIA ET TAM LAXA? *Doctrina Genneti est ipsissima S. Pauli, cujus testimonium Gennetus ipse adducit.* „ Quæ secundum Deum est tristitia, poe- „ nitentiam operatur stabilem. *Et Francolinus vocife-* „ *ratur* „ Quis audivit tam absurdas Doctrinas? „. *Absurda ne S. Paulus Apostolus docet? Absurda immo, quæ elicit P. Francolinus non ex doctrina S. Pauli & Genneti; sed ex novo opinandi modo ab Evangelica simplicitate, & Patribus alieno proficiscuntur. Excusandus concludit Francolinus, Gennetus, quòd has consequentias non vidit.* „ Sed has consequentias videt optimè Dæ- „ mon, qui sub hac specie rigidæ pietatis nos decipit „ & latens venenum securiùs miscet. *Ibidem num.27.* LAXAM *Francolini opinionem transcripsit Pater* LACROIX *lib.6. p.2. n.*1824 *ubi inquit* „ Inferes secundò „ etiam audiendum non esse Gennetum Tom 4. &c. ubi „ docet, pro hoc Sacramento requiri CONSTANS „ propositum, & quod CONSTANS SIT debere in- „ notescere Confessario antequam absolvat „. *Non debet ergo Confessarius prudenter judicare Poenitentem*

abso-

absolvendum habere CONSTANTEM *voluntatem non peccandi in posterum?* NEQUAQUAM. (istud NEQUAQUAM ita siccum & absolutum nusquam docent Francolinus & La-Croix) *Ergo sufficit illum habere voluntatem* INCONSTANTEM, (multo minus docent hoc) *ut hodie habere permulti Poenitentes solent, qui confitentur, & post* TRIDUUM, AUT QUATRIDUUM *eadem repetunt flagitia, & in perpetuo Sacramentorum ac relapsuum circulo vitam agunt. Scilicet. Cedo: Aut debet habere Poenitens voluntatem* CONSTANTEM, *aut* INCONSTANTEM. (Non debet habere, ait Francolinus IN SENSU GENNETI, non verò IN ALIO SENSU) *si primum, Doctrinam rigidissimam doces; inquit P. Francolinus cum P. La-Croix. Si contra nos dicamus, Doctrinam Francolini, & La-Croix esse* LAXISSIMAM, *lamentantur, turbas cient.* (Judicabunt statim lectores, utrum Doctrina Francolini, & La-Croix, non quæ depingitur a P. Concina, sed quæ reipsa ab ipsis traditur, sit LAXISSIMA) *Quæro si vos ipsi adverteretis, eum qui accipit pecunias mutuas, voluntatem* INCONSTANTEM *restitutionis habere, illi ne pecunias crederetis? Doctrina Francolini, & La-Croix non modo* LAXA, *sed* CONCILIO TRIDENTINO, ET ECCLESIÆ CONTRARIA *apertissimè mihi videtur. Poenitens habere debet voluntatem constantem, fortem, & ut S. Paulus dicit,* STABILEM *non offendendi Deum, ut sit rite dispositus ad absolutionem, idque ex signis probabilibus judicare Confessarius debet.* ALIUD *est* (Tandem P. Concina descendit, ut videbimus, in Sententiam Francolini, & La-Croix; & contradicit Genneto) *quòd Poenitens post hanc voluntatem* CONSTANTEM, RELABATUR. ALIUD *est, quod dum confitetur, habere non debeat voluntatem constantem.*



SI P. Concina INTEGRE, & SINCERE referret doctrinam Francolini, & La Croix; imposturis, censuris, & declamationibus non esset locus. Appareret enim lectoribus QUAM CONSTANTIAM in proposito necessario ad Sacramentum Poenitentiæ requirat Episcopus Gennet; QUAM CONSTANTIAM Francolinus appellet RIGIDAM; QUAM CONSTANTIAM rejiciant Francolinus, & La-Croix. Appareret, num rejiciant, & absurdam putent Doctrinam S. Pauli. Appareret, num contenti sint voluntate INCONSTANTI, qualem si adverteremus in Mutuatario, pecunias illi mutuas non traderemus. Appareret, num illationes, quas ex Doctrina Genneti elicit Francolinus, RIGIDÆ SINT, & SEVERÆ, ut ait Francolinus. Appareret demum, num propositiones contrariæ iis illationibus PARADOXA SINT ABSURDA, ET LAXA, ut pronunciat P. Concina.

Ego, referendo quæ a P. Concina truncata sunt, & permagni intererat non truncari, revelabo Doctrinam Genneti; Doctrinam Francolini, & La-Croix; illationes ex Doctrina Genneti ritè deductas; propositiones iis illationibus contrarias: & de his omnibus judicandum lectoribus more meo relinquam. En igitur totus atque INTEGER textus P. Francolini loco citato.

At ipsi forte (Doctores rigidi) *non vident suæ Doctrinæ consequentias; ut certè eis non vidisse dicendus est* (Hic incipit P. Concina a nominativo omnino suspenso) *Franciscus Gennettus in sua recentissima Theologia morali edita Parisiis anno* 1703. *Ex pluribus exemplis rigidissimæ ipsius doctrinæ, unde gravia sequantur absurda, unum afferam ex Tom.4. Tract.6. de Sacram. Poenit., ubi cap.5. quæst* 19. *docet; ad veram contritionem in hoc Sacramento requisitam, esse necessarium* CONSTANS *propositum, non inquit propositum; sed* CONSTANS PROPOSITUM, *idque*

que debere innotescere confessario antequam absolvat; (Hic definit P. Concina) *quod ipsum confirmat cap.7. quæst.15. dicens: unam ex necessariis dispositionibus ad absolutionem esse juxta Concilium Tridentinum* CESSATIONEM *a peccato*: NON ESSE AUTEM CENSENDUM, QUOD CESSARIT A PECCATO, QUI QUAMVIS POST ULTIMAM CONFESSIONEM, ET PROPOSITUM RARIUS PECCET, ALIQUANDO TAMEN PECCAT.

Ex hac doctrina (Hic incipiunt illationes) *Sequitur Primo, quòd qui post plures lapsus, & peccata paulo ante commissa accedit prima vice ad Confessorem, is non possit statim eum absolvere, sed debeat differre. Hanc consequentiam ipse videt, & admittit*, NEC REPUGNO.

Sequitur secundo: quòd si is redeat ad confessorem, sed nihil emendatus, nec debeat absolvi, si præsertim media ipsi præscripta non adhibuit. Hanc etiam videt & admittit. Igitur erit is iterum rejiciendus, utcumque dicat se nunc verè dolere, ET LACRYMAS FUNDAT. *His enim non esse credendum satis docet cap.5. quæst.21. Audi pulchram rationem.* „ Nam sæpe lacrymæ proveniunt, in„ quit, ab humano prorsus affectu, vel ex imaginatione „ objecto aliquo insolito commota.„

Sequitur tertio, quòd si is redeat tertia vice ad Confessarium FERE PENITUS EMENDATUS; *ita ut* PECCARIT SOLUM SEMEL, AUT BIS QUALIBET HEBDOMADA, CUM PRIUS IDEM PECCATUM COMMITTERET SÆPIUS IN DIE (sunt verba Genneti) *nec possit absolvi: non habet enim dispositionem necessariam ex Tridentino, juxta modernum hunc interpretem; nempe* PROPOSITUM CONSTANS, ET CESSATIONEM A PECCATO. *Hanc etiam consequentiam videt & admittit pagina* 112.

Sequitur quarto: quòd si vel semel tantùm intra spatium plurium mensium suæ probationis lapsus sit, & quartò redeat ad Confessionem; sit similiter sine venia dimittendus. Consequentia est manifesta. *Se-*

Sequitur quintò; quòd si Poenitens accedat cum uno solo peccato mortali, quod heri prima vice commisit, e.g. cum pravo desiderio, cum morosa delectatione, vel alio hujusmodi, non possit statim absolvi: non enim potest Confessarius scire, an habeat propositum CONSTANS, *nisi* POST PROPOSITUM *perseveret sine peccato per tempus aliquod notabile, quod ipsi dicitis esse ad minus aliquot hebdomadarum, seu mensis spatium.*

Sequitur sexto; quòd is neque IN ARTICULO MORTIS *possit absolvi; ut neque ille, de quo loquebamur paulo ante, qui propter unum relapsum est quartò rejectus* (Negat hoc quidem Gennetus: sed incohærenter. Id enim verissimè sequitur, ut probat evidenter argumentum Francolini statim subjiciendum: quia nempe dispositio necessaria juxta Tridentinum ad Sacramentum Poenitentiæ non est alia pro tempore vitæ; & alia pro tempore mortis) *siquidem nec* IN MORTIS ARTICULO *absolvi potest, qui caret dispositione necessaria, nempe aliqua ex illis, quæ requiruntur ex Tridentino, quarum unam dicit is Auctor esse* PROPOSITUM CONSTANS, ET HABITUALEM CESSATIONEM A PECCATO.

Sequitur septimo; eamdem praxim esse servandam cum iis, qui sola peccata venialia confitentur. Tridentinum enim NON DISTINGUIT; *ut vera poenitentia est requisita* IN UTRAQUE CONFESSIONE. *Ergo si in confessione mortalium requiritur* PROPOSITUM CONSTANS, *quia requiritur vera poenitentia, id etiam requiritur in confessione unius venialis præsertim deliberati. Ergo erit differenda absolutio etiam ei, qui cum uno solo peccato veniali heri commisso accedit ad confessionem, eritque prius* DIU *probandus.*

Quis umquam audivit TAM ABSURDAS DOCTRINAS; TAM SEVERAS, ET REPETITAS *ejusdem Poenitentis* FERE IN TOTUM EMENDATI DIMISSIONES, *tam impiam cum moribundis crudelitatem?*

Hactenus Francolinus; cujus integer, quamquam

prolixus, textus afferendus erat, ut lectorum oculis in suo vero adspectu ejus doctrina proponeretur.

En igitur quænam sit illa CONSTANTIA, quam in proposito necessario ad absolutionem requirit Episcopus Gennetus, & quam e contrario rejiciunt Francolinus, & La-Croix. Nimirum, non CONSTANTIA sumpta pro deliberatione firma, absoluta, & efficaci vitandi in posterùm omne peccatum, incomponibili, ut ajunt Theologi, cum omni voluntate peccandi; quam certè Confessarius non potest, per se loquendo, prudenter præsumere in Poenitente, qui tertia vel quarta vice redeat sine ulla, aut ferè ulla emendatione: sed CONSTANTIA, quæ trahat secum RE IPSA, &, ut ajunt, in actu secundo, CESSATIONEM OMNIMODAM & HABITUALEM PER NOTABILE TEMPUS. Ita ut TALEM CONSTANTIAM non habeat, ac proinde utpote indispositus absolvi nequeat; neque ille, qui licèt post ultimam confessionem & propositum rariùs peccaverit, ALIQUANDO tamen peccavit; neque ille, qui SEMEL VEL BIS in hebdomada commisit illud peccatum, quod ante ultimam Confessionem committere solebat SÆPIUS IN DIE; sed ille solus qui OMNINO AD LONGUM TEMPUS A PECCATO CESSAVIT. En quas doctrinas appellaverit Francolinus ABSURDAS, ET SEVERAS; superiores nempe illationes, quæ ab exposita Genneti Doctrina ritè descendunt.

Et tamen P. Concina producendo in medium eas tantùm duas voces ambiguas PROPOSITUM CONSTANS, & reliqua supprimendo, occultat de qua CONSTANTIA loquantur Francolinus, & La-Croix: instillat lectoribus, ipsos rejicere propositum efficax supra descriptum; eos contentos esse VOLUNTATE INCONSTANTI, idest velleitate inefficaci, qualem si adverteremus in mutuatario, non daremus illi pecuniam mutuam, & sic deformata eorum sententia, contra illam conviciosè declamat, eam appellando LAXAM, LAXISSIMAM,

CON-

CONCILIO TRIDENTINO, ET ECCLESIÆ CONTRARIAM.

At etiam P. Concina admittit, aliud esse, quod Poenitens post voluntatem CONSTANTEM RELABATUR; aliud esse, quod, dum confitetur, habere non debeat voluntatem CONSTANTEM. Rectè quidem. Sentit enim cum D. Thoma, qui 3. p. quæst. 84. art. 10. ad 4. apertissimè docet, relapsum non impedire, quominus propositum fuerit verum & efficax; & simul explicat quænam sit CONSTANTIA requisita in proposito, ut habeatur vera poenitentia. Audi ipsum loco citato.

Dicendum, quod Poenitere est anteacta peccata deflere; & fienda non committere SCILICET SIMUL DUM FLET *vel actu vel proposito. Ille enim est irrisor, & non poenitens, qui simul dum poenitet, agit quod poeniteat, vel proponit iterum se facturum quod gessit, vel etiam actualiter peccat. Quod autem aliquis postea peccet vel actu vel proposito*, NON EXCLUDIT *quin prima poenitentia vera fuerit; numquam enim veritas prioris actus excluditur per actum contrarium subsequentem: sicut enim verè currit, qui postea sedet, ita verè poenituit, qui postea peccat.*

Rectè, inquam, Pater Concina. Sed illa ejus doctrina favet Francolino, quem impugnat; & contradicit Genneto, quem defendit. Gennetus enim HABERE VOLUNTATEM CONSTANTEM, & NON RELABI, non vult esse ALIUD, & ALIUD; sed unum & idem. Docet enim, VOLUNTATE CONSTANTI carere illum, qui etsi rariùs relabatur, ALIQUANDO tamen RELABITUR: & voluntatem constantem in eo tantùm reperiri, qui redit ad Confessionem cum HABITUALI & OMNIMODA CESSATIONE a peccato per longum tempus.

Quoniam verò P. Concina non modo carpit Francolinum, quia superiores illationes ex Doctrina Genneti ritè deductas appellavit absurdas, & severas: sed prætereà propositiones contrarias iis illationibus a Francolino

admissas ipse appellat PARADOXA ABSURDA, LAXA, & PROVENIENTIA ex novo opinandi modo ab evangelica simplicitate, & Patribus alieno; nempe, ut ipse interpretatur, a Probabilismo: Placet subjicere hic lectorum oculis, quænam sint propositiones supradictis illationibus contrariæ, ut ipsi de censuris Patris Concinæ judicium ferant.

Prima. Potest absolvi Poenitens in secunda confessione, quamvis nullam emendationem attulerit; dummodo tamen affirmet se tunc verè dolere, & LACRYMAS FUNDAT.

Secunda. Potest absolvi Poenitens, si redeat tertia vice FERE PENITUS emendatus, ita ut peccarit SEMEL VEL BIS IN HEBDOMADA, cùm prius idem peccatum committere soleret SÆPIUS IN DIE.

Tertia. Non est dimittendus sine absolutione ille Poenitens, qui semel tantùm peccavit intra spatium plurium mensium suæ probationis; & quartò redit ad Confessionem.

Quarta. Potest absolvi Poenitens accedens cum uno solo peccato mortali heri prima vice commisso; quamvis tunc confessarius non habeat pro argumento propositi CONSTANTIS OMNIMODAM ET DIUTURNAM CESSATIONEM a peccato.

Quinta. Potest absolvi Poenitens in articulo mortis, quamvis ante illum articulum non cessaverit OMNINO a peccato per longum tempus.

Sexta. Potest absolvi Poenitens solitus committere sola venialia, quamvis ab iis per longum tempus omnino non cessaverit: & si afferat unum veniale primo commissum heri, non est prius diu probandus, ut cognoscamus, an ejus propositum sit CONSTANS.

Utrum istæ propositiones sint PARADOXA TAM ABSURDA, & TAM LAXA, ut ait P. Concina; alii judicent. Ego hoc tantùm dico; eas ex Probabilismo certissimè non profluere. Ex Probabilismo enim nil aliud pro-

profluit nisi sententia illa reflexa; Nempe licitum esse sequi opinionem practicè probabilem faventem libertati in conspectu æquè probabilis, vel etiam probabilioris faventis legi. Alia omnia Probabilismo extranea sunt. Hoc plurimi sæpissimè & verissimè inculcarunt: Sed semper surdis cecinerunt. Nam Pater Concina ad conflandam apud imperitos Probabilismo invidiam, servavit semper hoc PROPOSITUM CONSTANS attribuendi omnia mala Probabilismo.

Quæret fortasse quis, quinam sit sensus Apostoli a Genneto citati? Respondeo breviter; neque enim hic disputationes instituo. Vel Apostolus ibi non loquitur de actibus necessariis ad absolutionem in Sacramento Poenitentiæ; sed de Poenitentia integraliter & extensivè perfecta. Vel si loquitur de illis, nomine STABILITATIS intelligit Propositum firmum, absolutum, & efficax, incomponibile cum omni voluntate peccandi, quod, ut diximus, non potest, per se loquendo, prudenter præsumi a Confessario in Poenitente, qui sine ulla emendatione redit ad Confessiones: quod propositum omnes exigunt.

Quæro ego nunc ab æquissimis lectoribus: Ex iis tantùm, quæ retulit P. Concina, imbiberant ne animo eam opinionem, atque ideam Doctrinæ Francolini & La-Croisii, quam ex adductis hactenus imbiberunt? Si affirment: nihil habeo dicere. Sin minus: Rogo illos iterum, atque obtestor; ut, cùm legerint intrepidas censuras, & declamationes Patris Concinæ, sustineant aliquantisper Sententiam, donec eas opiniones vel apud Auctores exagitatos, vel apud aliquem alium legant; & tunc judicium, quod libuerit, ferant. Non mihi videor rogare improba,

CA-

CAPUT LXXXVIII.

Vindicatur ab impostura Pater La-Croix.

P. CONCINA Tom. 9. pag 259

P. Claudius La-Croix lib. 6. p. 2. n. 898. hæc scribit „ Probabilius videtur pro absolutione a mortalibus requiri „ propositum UNIVERSALE imposterum cavendi „ omnia mortalia „ ..... *Deinde quid juvat asserere esse* „ *probabiliorem illam Sententiam*, QUANDO JUXTA PATREM LA-CROIX LICITUM EST SEQUI OPPOSITAM MINUS PROBABILEM?

§§§§**

EVIDENS est impostura, LICITUM ESSE JUXTA PATREM LA-CROIX SEQUI OPPOSITAM MINUS PROBABILEM.

Primo: Quia P. La-Croix in eo ipsissimo numero citato docet, OPPOSITAM ILLAM MINUS PROBABILEM ESSE PRACTICE IMPROBABILEM. Sic enim habet „ Sententiam (docentem non requiri propositum illud universale) NON ESSE PRACTICE PROBABILEM RECTE dicit Gormaz num. 461 „ Juxta Probabilistas autem NON EST LICITUM SEQUI, quod non est PRACTICE probabile.

Secundo: Quia versamur in materia pertinente ex parte suscipientis ad valorem Sacramenti, agimus enim de Proposito. Porrò P. La-Croix apertissimè & omnino universaliter docet, esse peccatum mortale sequi sententiam probabilem relicta tutiori in iis, quæ pertinent ad valorem tum in collatione, tum in SUSCEPTIONE Sacramentorum. En ejus verba lib. 6. p. 1. numero 104. & 105.

Pec-

Peccat mortaliter, qui in administratione Sacramentorum sequitur sententiam tantùm probabilem de valore relinquens tutiorem.......... Peccat graviter, qui etiam in susceptione Sacramenti sequitur opinionem minus probabilem de valore Sacramenti, pendente etiam ab ipso suscipiente, relinquendo tutiorem.

Quam Doctrinam erutam a damnatione primæ propositionis Innoc.XI. tam religiosè ubique servat; ut doceat non solum esse illicitum sequi minus probabilem relicta tutiore, sed etiam probabiliorem. Duo tantùm exempla affero.

Primum. Lib.6. p.2. n.696. post agitatam quæstionem, utrum Dolor elici debeat EX INTENTIONE confessionis, ita concludit. *Quamvis concederemus, quòd sententia dicens, non requiri ut dolor sit elicitus ex intentione confitendi*, esset PROBABILIOR, *tamen ejus praxis foret illicita, & damnata ab Innoc.XI. in prima propositione; nam hic agitur de valore Sacramenti.*

Secundum. Ibidem num.701. post agitatam quæstionem, utrum dolor debeat præcedere confessionem; an verò satis sit ipsum præcedere absolutionem; in qua quæstione ipse P. Concina confitetur hoc Tomo 9. pag.233. esse VALDE PROBABILE sat esse, si dolor præcedat solam absolutionem; Pater La-Croix ita loquitur: *Quamvis secundum dicta* PROBABILIUS *sit, sufficere dolorem post confessionem elicitum; tamen praxis illius Sententiæ est illicita & damnata ab Innoc.XI.: agitur enim de valore Sacramenti.*

Quibus positis, quo jure P. Concina impingit Patri La-Croix hanc calumniam; cùm agatur de universalitate doloris, quæ pertinet ad valorem, LICITUM ESSE JUXTA IPSUM SEQUI OPPOSITAM MINUS PROBABILEM?

Duo hic summopere animadverti velim adversus Patrem Concinam.

Primum. P. Concina sæpe dixit, ex vi sistematis proba-

babilistici inferri, nos posse sequi probabilem etiam quando agitur de valore Sacramenti relicta probabiliori & tutiori. Ostendat ipse cur ex vi sistematis probabilioristici non inferatur, nos posse sequi probabiliorem quando agitur de valore Sacramenti relicta tutiori. Et idem dicent pro se Probabilistæ.

Secundum. P. Concina, ut diximus, ultro fatetur, sententiam de dolore præcedente solam absolutionem esse VALDE PROBABILEM: & tamen, ut ipse etiam rectissimè monet, illa non potest deduci in praxim, ut docuit etiam P. La-Croix. Ergo illa sententia VALDE PROBABILIS non est PROBABILIS PRACTICE; immo PRACTICE IMPROBABILISSIMA, & FALSISSIMA. Ergo etiam ipse tenetur distinguere PROBABILE SPECULATIVUM, & PROBABILE PRACTICUM. Cur ergo tam sæpe irridet, & insectatur in Probabilistis præfatam distinctionem?

CAPUT LXXXIX.

Vindicatur ab impostura Pater Gobat.

P. Concina Tom 9. pag. 291.

Quid dicendum de opinione Patris Gobat, negantis debitum confitendi circumstantias mutantes speciem, dum peccator de iisdem non dubitat? Resp. P. Georgius Gobat Tractatu 7. num. 324. Non contrahitur adeoque confitenda non est malitia circumstantiæ mutantis speciem, nisi poenitens QUANDO PECCATUM COMMITTEBAT saltem dubitarit, an non adesset circumstantia talis, & an non contraheretur propter illam peculiare peccatum. Ita fert communis sensus Theologorum. Utere mi bone Vir frequenter hac re-

„ regula, præsertim in excipiendis confessionibus ru-
„ dium; & nominatim quando malitia circumstantiæ
„ est nota soli doctorum vulgo „. *Peccatores, dum adulterantur, fornicantur, aut incestum perpetrant*, VOLUPTATE SCELERIS ANIMUM ABSORPTUM HABENT; *& quidquid aliud, præter circumstantiam mutantem speciem, cogitant. Nemo ergo communiter tenetur manifestare circumstantias speciem mutantes. Nam Gobatus dicit: Nisi poenitens* QUANDO PECCATUM COMMITTEBAT *saltem dubitarit. Vix est, qui quando peccatum committit ad circumstantias variantes speciem advertat, vel dubitet. Sed, ut dixi, Peccator* FLAGITII VOLUPTATE ABREPTUS *in hanc animum, sensus, & corpus intenta habet.* QUOD ANTE, *vel post scelus patratum cum Sorore, cum aliena uxore, cum Virgine Deo consecrata*, SCIAT *debitum circumstantiæ speciei diversæ manifestandæ*, NIHIL REFERT. *Debet* QUANDO PECCAT *saltem dubitare, ut teneatur confiteri. Et nisi saltem dubitet, non tenetur eam confiteri. Et in* TAM LAXÆ DOCTRINÆ *confirmationem allegatur communis Theologorum sensus. Qua fide? Quo fundamento? An communem Theologorum nationem constituunt aliqui Casuistæ mollioris Ethices? Quid conturbas conscientias? Utere mi bone Vir frequenter hac Regula, inquit P. Gobat.* CAVETE CONFESSARII, REPONO EGO AB HAC REGULA TAMQUAM A LAXISSIMA OPINIONE.

§*⁎*[o]⁎*⁎[o]*⁎*§

IMpostura non est in eo, quod verba Gobati integrè & sincerè non referat: sed in eo, quòd affingat Gobato sensum alienissimum, & absurdissimum, quem ipse ne per somnium quidem cogitavit. Affingit nempe, Gobatum per illa verba QUANDO PECCATUM COMMITTEBAT significare illud præcisum tempus actus ex-

terni, quo quis e. g. turpiter se commiscet cum aliqua foemina: ita ut per Gobatum non sufficiat ad contrahendam malitiam, puta, adulterii, si cognitio præcesserit immediatè ante, cùm ille homo deliberate se accinxit tali actui, & concepit voluntatem adulterandi; sed requiratur, ut illa perseveret in ipso fervore operis, quando adulterans VOLUPTATE SCELERIS ABREPTUS, IN EAM ANIMUM, SENSUS, & CORPUS INTENTA HABET, & alia omnia cogitat, præter circumstantiam mutantem speciem. Hunc autem esse sensum Gobati omnibus modis nititur persuadere lectoribus, tum semper insistendo contra Gobatum illi rationi; quod tunc Peccator habet animum ABSORPTUM VOLUPTATE SCELERIS, quod in eam INTENTA HABET SENSUS ET CORPUS, quæ de tempore solùm actualis turpis congressus vera sunt: tum dicendo in persona Gobati NIHIL REFERRE, si peccator habuerit cognitionem vel dubium ejus circumstantiæ ANTE patratum scelus.

Porro hæc est insignis impostura. Primò: quia nullum est fundamentum coercendi & redigendi significationem illorum verborum Gobati QUANDO PECCATUM COMMITTIT ad solum & præcisum tempus actualis turpis congressus, quo adulterans ABREPTUS VOLUPTATE SCELERIS certè ut plurimùm omnia alia cogitat, præter circumstantiam mutantem speciem: vel hujusmodi fundamentum proferatur. Et hoc sufficeret: nam attribuere alteri crimen aliquod temerè & sine ulla ratione, calumniari est.

Secundò. Quia prædicta verba QUANDO PECCATUM COMMITTIT in sua propria significatione non comprehendunt solùm & præcisum tempus actualis externi turpis congressus: sed etiam, & quidem potissimùm, tempus, quo quis concipit internam voluntatem peccandi, & se applicandi illi operi externo: neque enim PECCATUM COMMITTITUR solùm quando quis turpiter externè congreditur, & VOLUPTATI sceleris intenta ha-

habet SENSUS, & CORPUS; sed etiam, & POTISSIMUM, &, ut loquuntur Theologi, FORMALITER, quando concipitur voluntas interna; quo tempore sicut voluptas sceleris non impedit cognitionem peccati, ita nec impedit cognitionem vel dubium circumstantiæ mutantis speciem.

Quamobrem sensus Gobati est, non contrahi, neque confitendam esse illam malitiam, nisi ejus cognitio saltem dubitativa PRÆLUXERIT peccato commisso: non verò nisi talis cognitio habita sit præciso tempore VOLUPTATIS, in quam intenti sint SENSUS, & CORPUS. Idque confirmatur ex ipsa allegatione communis sensus Theologorum, qui est, qualem ego explicui, non qualem affingit P. Concina Gobato. CAVETE IGITUR, repono ego, Confessarii tamquam a laxissima Doctrina ab ea regula, non quam Gobatus tradit; sed quam P. Concina ABSORPTUS VOLUPTATE carpendi Jesuitam Gobato imponit. Cavete ab habenda statim fide P. Concinæ; aliàs sæpissimè in fraudem, & quidem non uno rerum in genere, inducemini.

Genuinam & communissimam sententiam Gobati tradit Cajetanus ex S. Thoma 1. 2. quæst. 79. art. 3. his verbis.

In eodem tertio articulo, circa primum modum, quo ignorantia non excusat totaliter a peccato, scilicet ex parte rei ignoratæ, quæ est ignorantia facti vel faciendi; dubium occurrit, an excusetur taliter peccans totaliter ab illa mala circumstantia ignorata. Et est ratio dubii, quia talis dat operam rei illicitæ, ex quo in scientia ejus, in littera dicitur, remanet quod ille actus, quem facit, est malus. E. G. Judas cum cognovit Thamar, quam nesciebat esse nurum suam, an sit totaliter ab incestus vitio excusatus, sciens actum illum esse fornicationem, sed ignorans incestum. Ad hoc dicitur, quod TOTALITER *est excusatus ab incestu, licèt non a fornicatione, quam voluntariè committebat.*

Advertatur hoc diligenter. Cajetanus excusans Judam a malitia incestus, quia NESCIEBAT illam esse nurum suam, CUM COGNOVIT THAMAR; non accipit illa verba CUM COGNOVIT pro solo & & præciso tempore turpis congressus, tunc enim quilibet NESCIT, sive non advertit ad malitiam incestus; adeoque juxta Cajetanum quilibet excusaretur: sed illa accipit etiam pro tempore, quo Judas concepit voluntatem internam, quamvis illa verba pressius significent solum tempus actus externi. Ergo a fortiori idem dicendum est de Gobato, qui usus est illis verbis QUANDO PECCATUM COMMITTEBAT, quæ in sua propria significatione complectuntur etiam tempus, quo quis internè constituit exercere actum externum, siquidem, ut dictum est, tunc potissimùm, & FORMALITER COMMITTITUR PECCATUM.

CAPUT XC.

Vindicantur ab impostura PP. Viva & Layman.

P. Concina Tom.9. pag.293.

An Sponsi, & Sponsæ carnaliter se cognoscentes, aut alii cum eisdem se commiscentes, debeant talem circumstantiam patefacere? .... Prima (Sententia) NEGAT, *quam* DEFENDUNT........ LAYMAN, VIVA, *& alii....* QUID? *Equum contractu promissorio vendidisti Petro opportuno tempore tradendum. Ante traditionem eidem oculum eruis, & non peccas peccato injustitiæ?*

Vi-

§:§**(o)**(o)**§:§

VIvam, & Laymanum DEFENDERE SENTENTIAM NEGANTEM, significat apud omnes, & omnibus persuadet, illos adhærere Sententiæ neganti, eam amplecti ut propriam; eam vel absolutè præferre sententiæ affirmanti, & hanc omnino rejicere; vel saltem præferre tamquam VERIOREM, & PROBABILIOREM. Hoc omnes intelligunt per illa verba DEFENDERE SENTENTIAM NEGANTEM, ut de propria experientia lectores testari possunt.

Atqui tantum abest, ut Viva, & Layman præferant affirmanti SENTENTIAM NEGANTEM, ut Viva adhæreat AFFIRMANTI tamquam VERIORI, & Layman tamquam PROBABILIORI. Et quidem, quod festivius est, propter illam eamdem similitudinem Equi, quam ab ipsis mutuatam contra ipsos intorquet P. Concina.

Audi Vivam quæst.5. artic.3. num.5., ubi post relatas Sententias & auctores, ita pergit.

VERIOREM *tamen existimo Sententiam Ægidii, & Rebelli, quod uterque* (Sponsus, & Sponsa) TENEATUR; *quia per sponsalia licèt non acquiratur jus in re, acquiritur tamen jus ad rem. Sicuti v. g.* PER PROMISSIONEM EQUI *mihi factam habeo jus non in re, sed ad rem circa equum mihi promissum, ita ut fiat mihi injuria, si equus etiam ab ipso Domino occidatur.*

Audi Layman lib.5. Tractatu 10. cap.1. n.6.; Ubi licèt sententiam NEGANTEM fateatur practicè probabilem propter magnitudinem Auctorum, eorumque rationes: tamen ex proprio sensu ita loquitur.

Licèt fornicatio Sponsæ cum altero viro soluto adulterii crimine notari non possit..... Nihilominus talis fornicatio videtur continere gravem injuriam adversus Sponsum, quippe cui jus saltem incboatum & traditione

non-

nondum completum competit ad Corpus Sponsæ, quod per fornicationem violatur.. Non secus atque injuriam inferre censetur, siquis EQUO, *qui mihi ex emptionis contractu debitus, & nondum traditus est*, OCULUM ERUAT.

Et paulo inferius inquit *Retenta priori sententia* (affirmante) *quæ est* PROBABILIOR.

Igitur Viva sententiam AFFIRMANTEM amplectitur ut VERIOREM, Layman amplectitur ut PROBABILIOREM: & quidem uterque propter illam similitudinem EQUI, qua insurgit contra ipsos cum suo illo familiarissimo QUID? P. Concina. Nihilominus, si ipsum audiamus, uterque DEFENDIT SENTENTIAM NEGANTEM.

Et deinde P. Concina, ut audietis capite sequenti, ORAT OMNES, ut legant in FONTE, ad experiendam scilicet ejus fidem, & Gobat, & Vivam, & OMNES, quos in hoc opere citat.

CAPUT XCI.

Vindicatur ab impostura P. Gobat.

P. Concina Tom.9. pag.350.

Quid dicendum de opinione Patris Gobat, qua ELUDIT *suæ societatis decretum prohibens absolutionem moribundi destituti sensibus? Respondeo. P. Gormaz citat Patrem Gobat, & P. Gobat citat Tractatu 7. num.602. hoc Decretum inclytæ suæ societatis his verbis* „ VI. „ Merito inhibuere recentissimè superiores nostræ Societatis suis ne in posterum doceant hanc propositionem: *Moribundus etsi nullum signum det, aut dederit contritionis; adeo ut Sacerdos nec sciat,* NEC PRUDENTER PUTARE POSSIT, *præcessisse sensibilem aliquam confessionem, absolvi potest* „. DUO EXCO-

COGITAVIT *Pater Gobat*, *ut hoc prudens decretum* ELUDERET. *En illius verba loco citato num.*604. „ „ Porro circa ordinationem illam nostri Ordinis, de „ qua numero præcedenti differuimus, notanda sunt „ DUO. Primùm: quòd loquatur de casu, quo non „ potest PRUDENTER PRÆSUMI quod dederit si- „ gnum .... (Hæc puncta mea non sunt, sed Patris „ Concinæ) Alterum: quod ordinatio expressè solùm „ prohibeat, ne illa sententia doceatur; non autem „ expressè ne practicetur„. *Vim pulchriora?* QUID? *Si vel ipsius Societatis*, decreta LEPIDIS ELUDUNTUR COMMENTIS, (Videant Lectores, num sequentia pertineant ad zelum reformandæ Theologiæ moralis) QUAM EXPECTARE OBEDIENTIAM DECRETA EXTRANEA VALENT? ALTO PRÆTEREO SILENTIO CONSECTARIA, QUÆ HINC SPONTE SUA PROFICISCUNTUR. *An dicent, textum Patris Gobat minus sincerè esse productum?* ORO OMNES, *ut legant* IN FONTE, *& Gobat, & Gormaz, & La-Croix, & Viva, &* OMNES, *quos in hoc opere cito.*

Utinam Lectores precibus annuant. Certè ego non tantùm oro; sed etiam atque etiam vehementer obsecro, atque obtestor.

§§**§§ **§§** §§**§§

DUo affirmat P. Concina in recitatis verbis. Primùm est, Patrem Gobat ELUDERE decretum suæ inclytæ Societatis. Alterum est, Patrem Gobat duo EXCOGITASSE ad illud decretum ELUDENDUM. Utraque est impostura.

Quod attinet ad primum. Ut Pater Gobat ELUDAT suæ inclytæ Societatis decretum, oportet ut doceat aliquid contra quàm decretum præscribit. Nemo, puto, hoc inficiabitur. Rectè. Quid præscribit decretum? Præscri-

ſcribit, nequis doceat, poſſe abſolvi moribundum, ſi Sacerdos nec ſciat, NEC PRUDENTER PUTARE POSSIT, præceſſiſſe ſenſibilem aliquam confeſſionem. Hæc ſunt ipſiſſima decreti verba. Videamus nunc, an P. Gobat aliquid contra doceat; ſive an doceat, poſſe abſolvi moribundum, TAMETSI Sacerdos nec ſciat, NEC PRUDENTER PUTARE POSSIT, præceſſiſſe ſenſibilem aliquam confeſſionem. Quod quidem jam Lectoribus patuiſſet, ſi P. Concina, qui cæteroquin inſultat iis verbis AN DICENT, TEXTUM P. GOBAT MINUS SINCERE' ESSE PRODUCTUM? Si, inquam, P. Concina multa verba P. Gobat ſubſtitutis aliquot punctis non occultaſſet.

Igitur P Gobat non docet, poſſe abſolvi moribundum, TAMETSI Sacerdos nec ſciat, NEC PRUDENTER PUTARE POSSIT, præceſſiſſe SENSIBILEM aliquam confeſſionem: ſed expreſſiſſimè, & diſertiſſimè docet, poſſe abſolvi in eo ſolùm evento, quo Sacerdos PRUDENTER PUTARE POSSIT, moribundum illum edidiſſe ALIQUOD SIGNUM.

Deinde quærendo quodnam ſit hoc eventum, ſive quærendo quænam ſint fundamenta illius PRUDENTIS JUDICII, & quandonam habeantur; circa quæ fundamenta (Nota bene) nihil dicit Decretum, & neque præcipit, neque vetat doceri, hoc vel illud fundamentum eſſe vel non eſſe ſufficiens: quærendo, inquam, quænam ſint hujuſmodi fundamenta; non eſt contentus vita pia, & chriſtiana ante acta, qua cæteroquin multi contenti ſunt; ſed hoc reijcit num 602. his verbis.

Negandum eſt licitè validève abſolvi, de quo conſtat non edidiſſe ulla ſigna petentis abſolutionem; eſto conſtet fuiſſe VIRUM PROBUM, OPTIMUM. Verùm pro fundamento PRUDENTIS PRÆSUMPTIONIS requirit hanc totam rerum complexionem. I. Quod ille fuerit BONUS CHRISTIANUS. II Quod ille PRÆSENSERIT DEFECTIONEM SUAM, & periculum mortis in-

instantis. III. Quod inter præsensionem, & defectionem interfluxerit aliquod tempus. Violentissimè enim, & prudentissimè præsumitur; BONUM Christianum, qui præsentiat suam mortem instantem, & habeat tempus, tempore illo intermedio edere aliquod signum desiderantis absolutionem.

Hanc esse Gobati sententiam, patebit legentibus loco citato num.612. & sequentès; quos hìc non rescribo; tum quia satis prolixi sunt: tum quia clarè etiam, & expeditè cognoscetur, si restituantur verba, quæ Pater Concina suppressit substitutis aliquot punctis; & recitetur integer Gobati textus, qui est hujusmodi.

Porro circa ordinationem illam nostri ordinis, de qua numerò præcedenti disseruimus, notanda sunt duo. Primum, quòd loquatur de casu, QUO NON POTEST PRUDENTER PRÆSUMI, *quod ediderit signum*. (Loco eorum quæ sequntur substituta sunt puncta) *Atqui* POTEST PRUDENTER *de quolibet* BONO *Christiano, qui* PRÆVIDIT *periculum instantis mortis*, PRÆSUMI, *quòd dederit signum Contritionis in ordine ad Confessionem: illud quippe prudenter præsumitur factum, quod plerumque fieri solet. DD. in l. IN OBSCURIS ff. de regulis juris*, &c.

His positis. Decretum vetat docere, absolvi posse moribundum in evento, quo Sacerdos non possit PRUDENTER JUDICARE, nullam præcessisse SENSIBILEM Confessionem. Gobat docet, absolvi posse moribundum solùm quando potest Sacerdos PRUDENTER JUDICARE præcessisse signum desiderantis absolutionem, quod SIGNUM est Confessio SENSIBILIS. Decretum nihil dicit de fundamentis prudentis judicii, & neque præcipit, neque vetat docere hoc vel illud. Gobat pro hujusmodi fundamentis non est contentus vita piè, & christianè ante acta; qua cæteroquin contenti sunt viginti, & octo Auctores relati ab ipso P. Concina hoc Tom.9. pag.345. quos inter novem aut decem sunt acer-

 rimi

rimi Antiprobabilistæ. Sed rejecta istorum sententia, rigidior est, & postulat præterea, ut BONUS ille Christianus PRÆSENSERIT instantem defectionem, & mortem, & HABUERIT TEMPUS INTERMEDIUM inter præsensionem, & defectionem; & hæc omnia constent Confessario. Quæro ab æquissimis Lectoribus, ubi ELUDIT Gobat decretum suæ inclytæ Societatis?

Quod attinet ad secundum; scilicet ad duo Notata Patris Gobat; Impostura item est, Gobatum duo EXCOGITASSE AD ELUDENDUM decretum. Primum notatum est, Decretum loqui de casu, quo Sacerdos non POTEST PRUDENTER PUTARE, moribundum edidisse aliquod signum, sive aliquam præcessisse confessionem sensibilem. Hæc non est EXCOGITATIO Gobati, sed sunt ipsissima verba Decreti. Secundum notatum est, Decretum vetare, ne illa propositio doceatur; non verò vetare EXPRESSE', ne illa, ut verbo Gobati utar, PRACTICETUR. Hæc item non est EXCOGITATIO Gobati; sed illorum qui Decretum condiderunt; quorum verba a Gobato relata, & a P. Concina omissa, hæc sunt. *Porro prædictas propositiones omnes nulla afficimus censura: sed* SOLUM *prohibemus* DOCERI *in nostris gymnasiis ad majorem uniformitatem, & soliditatem doctrinæ inter nos, & copiosiorem fructum in Auditoribus faciendum*. Ex quibus verbis, cùm ibi EXPRESSE' dicatur SOLUM PROHIBEMUS DOCERI, numquam exculpet P. Concina ullam EXPRESSAM prohibitionem, ne doctrina contenta in ea propositione PRACTICETUR. Quamquam, quod diligenter advertendum est, P. Gobat nusquam docuit, opinionem illam prohibitam doceri, posse reduci ad praxim. Sed docuit oppositum, & præscripsit praxim valde diversam.

Stat igitur, Patrem Gobat non ELUSISSE Decretum; NULLA prorsus EXCOGITASSE ad eludendum Decretum; sed Patrem Concinam dupliciter imposuisse.

Quamquam, ut verum fatear, ego non capio, cur tan-

tantopere P. Concina hic laboret de una ordinatione Superiorum nostræ Societatis, cum Tom. 2. pag. 139. tam parum laboraverit de una constitutione Sanctissimi Fundatoris a pluribus Pontificibus comprobata, & contra impugnatorum tela clypeo supremæ auctoritatis protecta.

S. Ignatius ita præscribit: *Ad majorem in spiritu profectum; & præcipuè ad majorem submissionem, & humilitatem propriam, contentus quisque esse debet, ut omnes errores & defectus ipsius; & res quæcumque, quæ notatæ in eo, & observatæ fuerint, Superioribus per quemvis, qui extra Confessionem eas acceperit, manifestentur.*

Audi nunc quid P. Concina post multa alia citato loco scribat. Inquit igitur: *Quod in hac controversia mihi negotium facessit, illud est, quòd nulla Religio disciplinam profiteatur perfectiorem illa, quam Christus ipse in suo Apostolico Collegio instituit. Hanc perfectionem omnes Sacri Ordines sequendam amplectuntur. Porro Christus Dominus ea omnia præscripsit, quæ ad hunc finem obtinendum conducunt. Inter alia autem præcipit,* SECRETO CORRIGENDUM ESSE DELINQUENTEM FRATREM. QUI CONTENDUNT, *melius efficaciusque incolumem evangelicam disciplinam consistere, si, neglecto fraternæ correctionis ordine, immediatè ad Prælatum denuntiandum delictum afferatur,* HI *profecto* EVANGELIUM CORRIGERE, REGULASQUE PERFECTIORES, AC PRUDENTIORES PRÆSCRIBERE VELLE VIDENTUR. *Utcumque tamen res hæc sese habeat, non est quod diutius in eadem immorari debeam. Nec enim litem hanc decidere mihi in animo est. Quod quisque ob honestum finem famæ detrimentum liberè pati possit, extra controversiam est, ut docet Angelicus 2. 2. quæst.73. art.4. ad 1; idque præstiterunt Sancti. Sed aliud est quod aliquis nolit semper famam suam vindicare;* ALIUD LEGEM CONDERE, VI CUJUS DIVINUM MANDATUM AB ALIQUA ARCEATUR COMMUNITATE.

Subdit quidem statim Pater Concina. *Hoc mihi difficultatem ingerit, nec ob id tamen improbo, siquid sapientes, Sanctique Viri oppositum statuerunt; quin illis, utpote divino perfusis lumine, fasces submitto, & utroque pollice subscribo.* Sed hoc non impedit, quominus illam S. Ignatii Regulam omni argumentorum genere (Num satis piè, Lectores judicent) impugnaverit; & argumenta sine ulla directa solutione reliquerit. Quod utrum sit saltem INDIRECTE' impugnare, aliorum judicium esto.

Ad illos aculeos de Decretis extraneis, quibus frequentius, quàm par est, in hac Christiana Theologia Jesuitas pungit, ne queratur, si unica saltem vice hoc repono. Ajo igitur, non pertinere isthæc ad purgandam Theologiam Moralem, sed ad vellicandas personas, conflandamque illis invidiam, contra quam ipse sæpius protestatur. Ceterum si qui sunt, qui Decretis extraneis debitam obedientiam non præstent, universa Societas eos improbat, condemnat, detestatur: neque Societatem constituunt unus vel alter, immo decem aut viginti.

CAPUT XCII.

Restituitur suæ integritati sententia Cardinalis De-Lugo.

P. Concina Tom. 9. pag. 407.

Quid dicendum de opinione Sporer, LUGO, & aliorum docentium NULLAM, aut MODICAM injungendam esse pœnitentiam, dum Pœnitentes confitentur ad indulgentiam lucrandam?

Annu-



ANnuentes precibus P. Concinæ legimus in fonte Cardinalem De-Lugo, quem hic citat, & vidimus ejus sententiam fuisse insigniter mutilatam, & deformatam. Si ipsi credimus, sententia Card. De-Lugo concluditur hac disjunctiva propositione „ NULLA, vel MODICA pœnitentia INJUNGENDA EST Pœnitentibus, qui confitentur ad indulgentiam lucrandam„ Hæc sunt verba P. Concinæ, & nulla alia. Videant nunc Lectores, num sententia Cardinalis integrè, & sincerè repræsentata sit.

Primo. Card. De-Lugo nihil habet de prima illa parte disjunctivæ NULLA; Sed hæc pars quantum ad Cardinalem De-Lugo gratis intrusa est a P. Concina de suo.

Secundo. Card. De-Lugo non dicit MODICA, sed dicit LEVIORES, & quidem comparatione habita ad gravissimas pœnitentias, quæ aliàs ob magnitudinem, & multitudinem criminum huic homini imponendæ forent. Fieri autem potest, ut pœnitentia sit LEVIOR comparatè ad gravissimas tot ac tantis criminibus hìc & nunc debitas; & tamen absolutè non sit MODICA.

Tertio. Card. De-Lugo non dicit INJUNGENDAM esse, quod significat obligationem, & aufert a Confessario potestatem injungendi leviorem, si velit. Sed dicit INJUNGI POSSE; quod significat solam facultatem, & relinquit Confessarium liberum ad alias graviores injungendas.

Quarto. Card. De-Lugo dicit, in tali eventu INJUNGENDUM esse a Confessario pro Pœnitentia hoc ipsum, ut scilicet ille homo Jubilæum lucretur; adeoque ut omnia opera bona exequatur, quæ a Pontifice pro Jubilæo lucrando imposita sunt. Hoc autem additamentum, quod, ut vident Lectores, valde immutat sententiam, a Patre Concina omnino suppressum est.

Quinto demum. Card. De-Lugo monet, omittendas non esse pœnitentias injunctas prætextu Indulgentiarum,

rum,

rum. Ad quod monitum confirmandum affert incertitudinem easdem consequendi, & plures etiam rationes, quàm afferat, ut videbimus, S. Thomas in eamdem rem.

Quamobrem genuina sententia Card. De-Lugo concluditur hac alia propositione „ Tempore Jubilæi POTEST Confessarius injungere pœnitentias LEVIORES, quàm cæteroquin ille homo mereretur, IMPONENDO tamen illi pro pœnitentia hoc ipsum, ut Jubilæum lucretur „ Quæ sententia, vociferetur, & convincietur P. Concina quantum velit, communissima est apud Theologos cujuslibet Instituti.

En verba Card. de-Lugo disp. 27. de Pœnit. sect. 2. num. 30 *Hinc infertur primo, tempore Jubilæi* POSSE *Confessarium* LEVIORES *pœnitentias imponere*, OBLIGANDO *tamen Pœnitentem ad lucrandum Jubilæum: Ad hoc enim conceditur illa remissio a Pontifice, ut sublevetur Pœnitens, qui pro* TANTIS *peccatis non poterat agere debitam pœnitentiam: quod redundat etiam in levamen Confessarii, qui frequenter nescit, quomodo peccatori* INGENTIBUS PECCATIS *gravato possit* CONGRUENTEM PŒNITENTIAM *imponere*.

Et num. 31. ita monet: *Prudenter advertunt, consulendum semper esse Pœnitenti, ut opera imposita, quoad fieri potest, adimpleat; nec debere pœnitentias omitti indulgentiarum occasione: quia illa opera imposita etiam fuerunt a* MEDICO *ex desiderio salutis: & quia prosunt ad meritum, quod pluris faciendum est, quàm redemptio pœnæ temporalis: & quia frequenter homo reus est majoris pœnæ, quàm putat, & facile continget, ut post Jubilæum etiam reus manet pœnæ; quia propter varias causas indulgentiæ effectus potuit ex aliqua saltem parte impediri. Ultimo advertendum est, doctrinam positam locum habere, quando quis lucretur indulgentiam* PLENARIAM, *non verò si lucretur* PARTIALEM.

Hanc suam, immo communissimam, opinionem intulit Card. De-Lugo LEGITIMA, ET EVIDENTI CON-

CONSECUTIONE ab alia ſententia docente, manere liberum in conſcientia ab implendis pœnitentiis injunctis illum, qui lucratur indulgentiam plenariam. Dixi CONSECUTIONE LEGITIMA, ET EVIDENTI. Quia ſi ipſe Pœuitens etiam poſt pœnitentiam injunctam liber manet ab illa implenda, ſi Jubilæum lucratur: a fortiori POTERIT Confeſſarius LEVIOREM imponere, OBLIGANDO tamen ad Jubilæum lucrandum. Si ſententiam illam, ex qua Card. De-Lugo EVIDENTER intulit ſuam, P. Concina velit de more appellare LAXAM, LAXISSIMAM, HORROREM INGERENTEM, SCANDALI PLENAM, appellet; nihil ad me. Ego tantùm Lectoribus patefaciam, quinam illam doceant.

I. S. Thomas Aquinas Dominicanus in 4. diſtinct. 20. quæſt. 1. art. 3. quæſtiuncula 1. Ubi poſt relatam ſententiam illorum, qui dicebant, Indulgentias non valere ad abſolvendum a reatu pœnæ luendæ in Purgatorio, ſed ſolùm ad abſolvendum ab OBLIGATIONE implendi pœnitentiam a Sacerdote impoſitam; totus eſt in refellenda prima parte ejus ſententiæ pertinente ad Purgatorium; & deinde concludit, Indulgentias valere AD UTRUMQUE; ſcilicet ad abſolvendum & a reatu Purgatorii, & AB OBLIGATIONE implendi pœnitentiam injunctam a Sacerdote. En ejus verba.

Quidam dicunt, quod non valent (Indulgentiæ) *ad abſolvendum a reatu pœnæ, quam quis in Purgatorio ſecundum judicium Dei meretur: ſed valent ad abſolutionem ab* OBLIGATIONE, QUA SACERDOS OBLIGAVIT PŒNITENTEM *ad pœnam aliquam, vel ad quam etiam ordinatur ex canonum ſtatutis. Sed hæc opinio non videtur vera* (intellige quoad primam partem negantem de Purgatorio, ut ſtatim patebit) *Primo, quia eſt expreſsè contra privilegium Petro datum, ut quod in terra remitteret, & in Cœlo remitteretur. Unde remiſſio, quæ fit* QUANTUM AD FORUM ECCLESIÆ *valet*

eti-

etiam quantum ad forum Dei. Et præterea Ecclesia hujusmodi Indulgentias largiens, magis damnificaret, quàm adjuvaret; quia remitteret ad graviores pœnas, scilicet Purgatorii, ABSOLVENDO A PŒNITENTIIS INJUNCTIS. *Et ideo aliter dicendum est, quod valent*, ET QUANTUM AD FORUM ECCLESIÆ, *& quantum ad judicium Dei ad remissionem pœnæ residuæ post contritionem, & absolutionem, & confessionem*.

Et ibidem in responsione ad 4. hæc habet, ex quibus Cardinalis De-Lugo desumpsit monitum suum.

Tamen CONSULENDUM *est eis, qui indulgentiam consequuntur, ne propter hoc* AB OPERIBUS PŒNITENTIÆ INJUNCTIS *abstineant, ut etiam ex his remedium consequantur, quamvis a debito pœnæ essent immunes; & præcipuè quia quamdoque sunt plurium debitores, quàm credant*.

Ubi diligenter advertenda est illa vox CONSULENDUM; qua S. Thomas aperte ostendit, non esse PRÆCEPTUM sed CONSILIUM, ut lucrantes indulgentiam exequantur pœnitentias INJUNCTAS.

II. Bartholomæus Fumus Dominicanus in summa vulgo *Armilla*, verbo *Indulgentia* num. 17. SECUNDUM D. THOMAM *non est* DE NECESSITATE, *quòd, qui accipit hanc indulgentiam plenariam, faciat pœnitentiam* TAXATAM A CONFESSORE, *quamquam expediat*.

III. Dominicus Sotus Dominicanus in 4. distinct. 21. a. 1. concl. 1. *Indulgentia, si pia causa adsit, tantum valet non solum in foro Ecclesiæ, sed apud Deum, quantum sonat. Ut si visitantibus limina Petri concedantur Indulgentiæ quadraginta dierum, qui v.g.* IMPOSITI ERANT IN PŒNITENTIAM *alicui; absolvitur ille non solùm* AB OBLIGATIONE *illam implendi; verùm & ab illa pœna Purgatorii, cujus veniam pœnitentia impleta obtinuisset*.

IV. Sylvester Dominicanus in Summa, V. *Indulgentia* n. 23. *Nono quæritur, utrum ille qui, indulgentiam*

POE-

POENITENTIARUM INIUNCTARUM *rite consecutus est, teneatur ILLAS EXPLERE, puta si alicui* INIUNCTA ERAT POENITENTIA SEPTENNIS, *& indulgentiam septennem assecutus est? Et dico* QUOD NON. *Quia per contritionem poena æterna dimittitur; & in temporalem commutatur. Temporalis verò per satisfactionem, aut per indulgentiam, quæ illi æquipollet, unde per indulgentiarum satisfactionem enervatur poenitentialis satisfactio.*

V. Durandus Dominicanus in 4. dist.20. quæst 4. n.9. *Poenitentiæ injunctæ sunt illæ solùm, quæ imponuntur a Sacerdote confitenti. Canones enim nulli imponunt poenitentiam. Sed docent qualis & quanta sit ponenda. Et ideo de prædictis poenitentiis sic a Sacerdote injunctis certa quantitas per indulgentiam relaxatur: ita quod* LICITUM EST *recipienti indulgentiam* OMITTERE TANTAM PARTEM POENITENTIÆ SIBI INIUNCTÆ.

Ejusmodi sunt Theologi, omissis aliis, qui docent Poenitentem lucrantem indulgentias posse omittere tantumdem poenitentiæ sibi a Sacerdote injunctæ. Ex qua Doctrina EVIDENTER, ut dixi, infertur multo temperatior opinio Cardinalis de Lugo, & aliorum docentium, posse Confessarium tempore Jubilæi imponere poenitentias LEVIORES, OBLIGANDO tamen Poenitentem ad lucrandum Jubilæúm.

Quæ opinio confirmatur Auctoritate Glossæ in Extravagantem Bonifacii VIII. *Antiquorum*: Ubi Auctor Glossæ, qui dicit se locutum fuisse cum Bonifacio, hæc de illo Pontifice testatur.

Declaravit etiam, quod sui Pœnitentiarii NIHIL DEBENT INIUNGERE *ultra injunctionem hic positam: alias, ut dicebat, Indulgentia frustraretur: nisi confitens volens facere opera supererogationis, voluntariè pœnitentiam satisfactoriam, aliam ab hac taxata, reciperet.*

Utrum verò opinio approbata a Bonifacio VIII., ut constat ex modò allato monumento; EVIDENTER a fortiori deducta a recitata Doctrina D. Thomæ, & alio-

rum insignium Thomistarum; & multo temperatior, quam sit præfata doctrina; utrum, inquam, talis opinio in ore P. Sporer, & Cardinalis de Lugo mereatur statim notam LAXITATIS; definiant alii, neque enim attinet ad institutum meum.

Hoc unum ego addam. Argumentum, quo P. Concina impugnat opinionem Cardinalis de Lugo petitum ab INCERTITUDINE consecutionis Indulgentiarum; & debito certo non satisfit per solutionem incertam; non est satis efficax. Nam retorquetur in primis ad evidentiam contra S. Thomam & laudatos Thomistas docentes, Poenitentem lucrantem indulgentias absolvi AB OBLIGATIONE exequendi poenitentias a Sacerdote impositas: Deinde neque satisfactio imposita a Confessario est solutio omnino certa. Potest enim impediri ejus effectus, vel quia homo putans se esse in statu gratiæ cùm illam exequitur, verè non est; vel ex aliis capitibus. Quamobrem sicuti quis certus est se peregisse opera satisfactoria injuncta a Confessario; & prudenter confidit, non esse impeditum eorum effectum: Ita etiam quis certus est, se peregisse opera a Pontifice injuncta; & prudenter confidit non esse impeditum eorum effectum, nempe consecutionem Indulgentiarum. Ac proinde utrobique par ratio.

CAPUT XCIII.


Vindicatur ab impostura Pater Viva.

P. CONCINA Tomo 9. pag 574.

Qui directè absolvitur ab aliquo reservato tempore Jubilæi, deinde post absolutionem mutat animum, & omittit ea opera implere, quæ præscripta sunt ad Jubilæum lucrandum, peccat ne mortaliter? Affirmat Suarez lauda-

da-

datus a P. Viva, quia deficit in re gravi, ad quam se obligavit. Sed P. Viva DE MORE AMPLECTITUR OPPOSITAM OPINIONEM LAXAM, *quam defendunt Lugo, Sanchez, Henriquez, & alii.*



ORo P. Concinam, ut legat IN FONTE & Gormaz, & Gobat, & Layman, & VIVAM, & omnes, quos in hoc opere citat. P. Viva apertissimè & disertissimè profitetur, se PRÆSCINDERE ab hac quæstione. En ejus verba quæst.9. artic.4. num.5.

PRÆSCINDIMUS *hic, an si iste talis virtute Jubilæi absolvatur directè ab aliquo reservato, peccet deinde mortaliter, ut docet Suarez, mutando animum, & non ponendo alia opera ad assecutionem Jubilæi. Etenim videtur deficere in re gravi, ad quam se obligavit veluti ex pacto, acceptando beneficium absolutionis. Verùm solùm venialiter peccare docent Lugo, Sanchez, Henriquez, & alii apud Dianam p.3. tract.4. Resolut.145., & p.5. tract.12. Resolut.42. quia non deficit in pacto utili Promissario, sed utili ipsi Poenitenti.*

Posita verò hac tam manifesta protestatione, qua fide scribit P. Concina, P. VIVA DE MORE OPPOSITAM OPINIONEM LAXAM AMPLECTITUR? Saltem imposturam convicio non cumulasset.

CAPUT XCIV.

Restituitur sua integritati sententia Laymani.

P. CONCINA Tom. 9. pag. 674.

Absolvendi ne sunt recidivi, QUOTIES SPONTE *accedunt ad Confessionem? Respondeo ..... Pater Layman lib. 5. Tract. 6. cap. 4. numero undecimo* „ Qui est recidivus si „ affert aliquod signum emendationis, est SEMPER „ ABSOLVENDUS. Signa autem sunt vel rarius „ peccare, vel aliquis major dolor ex vero animo con- „ ceptus, vel IPSUM SPONTE CONFITERI, in his „ qui non urgentur a Præceptore, Patre, Pædagogo, „ consuetudine congregatorum ad confitendum, &c. „ Tunc enim habetur signum emendationis, secus non „ item „. *Placet quod docet Layman, inquit Tamburinus. Revera mirum esset, nisi Tamburino placeret doctrina P. Layman adeo benigna, & mihi* LAXISSIMA.

§*‸*§(o):(o)§*‸*§

RECitata verba, imò recitata Doctrina nusquam sunt in toto Laymano. Audi ipsum loco citato, sed n. 10. non 11., ut scribit P. Concina.

His quædam addenda sunt. Primo considerandum in hac materia QUO PRÆCIPUE MOTIVO *Pœnitens ad frequentes confessiones accedat. An quia a Domino, Præfecto, Pædagogo adigitur, aliàs non accessurus: in tali homine magnum periculum est, ne male dispositus sit. An solùm quia consuetudinem habet octavo quoque die confitendi. In tali etiam magnum periculum est si eamdem mortalis peccati speciem sine emendatione sæpius afferat,*

An

An denique (Nota bene lector, non dicit Layman QUIA SPONTE ACCEDIT, ut imponit Pater Concina) QUIA DOLORE, ET INDIGNIATIONE PROPTER RELAPSUS SUOS CONCEPTA, *iterum Pœnitentiæ ac confusionis suæ remedium quærit*.

At deceptus est a Tamburino citante Laymanum. COLLIGAT NECESSITATEM LEGENDI AUCTORES IN FONTE; præsertim, ut aliàs monui, quando agitur de imponendis invidiosis Sententiis, quæ existimationem Auctorum, & famam lædunt; & quando eo animo scribitur, ut illi auctores, certi potissimum Instituti, in suspicionem & odium adducantur; & ex omnium manibus exterminentur. Protestatur quidem P. Concina, non hoc se animo scribere; & ego, siquidem ipse vult, ita credam. Sed ejus vicem doleo, quòd magnam habeat adversariam: communissimam persuasionem.

His missis hoc non capio. Alicubi in hac sua Theologia (non recordor ubi) fatetur; se ad hujusmodi fontes digitos non intendisse. Alibi dicit, sibi non tantum otii fuisse, ut auctores videre posset in fonte. Deinde monet graviter alios, ut colligant necessitatem legendi Auctores in fonte, & quod festivius est, ut sibi fidem conciliet, intrepide ORAT lectores, ut legant IN FONTE OMNES, quos in hoc opere citat.

Ad illum sarcasmum „ Revera mirum esset, nisi Tamburino placeret doctrina P. Layman adeo benigna & mihi laxissima „ Repono. Re vera mirum esset, nisi Doctrina Laymani Patri Concinæ laxa esset; cui tantum placet Doctrina sui Genneti, & similium; qui volunt, neminem habere PROPOSITUM CONSTANS, neminem esse dispositum, neminem esse absolvendum, nisi per longum tempus probatus fuerit, & ab ultima confessione per plures hebdomadas a peccatis OMNINO cessarit. Relegatur Caput 87.

CA-

CAPUT XCV.

Restituitur suæ integritati sententia P. La-Croix.

P. Concina Tom. 10. pag. 72. Sic habet in titulo Capitis undecimi.

A quibus præsertim rebus abstinere clerici debeant ratione sui status. LAXÆ P. LA-CROIX opiniones refelluntur.

Deinde pag. 73. sic incipit referre & refellere LAXAS opiniones P. La-Croix.

Utrum negotiatio clericis sit interdicta? ..... Casuistæ plures excogitarunt opiniones, quas omnes more suo colligit P. La-Croix lib. 3. p. 2. n. 997. & sequentibus. ET PRIMO *asserit, clericum posse emere aliquid, ut consumat; & si postea* PRETIUM ILLIUS CRESCAT, *vendere potest, sperans se viliùs empturum. Est enim actus oeconomicæ prudentiæ. Sub istius oeconomicæ prudentiæ pallio re ipsa Clerici negotiantur.*

:§:[o]:§:[o]:§:[o]:§:

PAter Concina refert verum, sed non refert totum; & illud occultat, quod cedit in maximam utilitatem Patris La-Croix. Ego autem revelabo, ut lectores videant tum artificium P. Concinæ, tum cujusmodi sint, & quibus auctoribus muniantur Sententiæ, quas in libris Jesuitarum statim notat ut LAXAS. En textus integer P. La- Croix.

Licitum est omnibus emere cum animo vendendi SINE LUCRO, *quia non est prohibita negotiatio, nisi fiat causa lucri, uti habetur Cap. Secundo Ne Clerici vel Monachi.*

Un-

Unde si Clericus emerit aliquid ut consumat, & postea pretium illius crescat, vendere potest, sperans se viliùs empturum. Est enim actus oeconomicæ prudentiæ. S. THOMAS, *Molina, Sà, Layman, Castropalao, Lugo.*

Quæro: Cur P. Concina suppressit citationem S. THOMÆ? Parum ne facit ad imminuendam invidiam Patris La-Croix habere S. Thomam auctorem Doctrinæ suæ? Et reipsa illam tradit Angelicus 2. 2. quæst. 74. artic. 4. ad 2. his verbis.

Ad secundum dicendum quòd non quicumque cariùs vendit aliquid, quod emerit, negotiatur. Sed solùm, qui AD HOC *emit,* UT *cariùs vendat. Si autem emerit rem non ut vendat, sed ut teneat, & postmodum propter aliquam causam eam vendere velit, non est negotiatio, quamvis carius vendat. Potest enim hoc licitè facere, vel quia in aliquo rem melioravit, vel quia* PRETIUM REI EST MUTATUM *secundum diversitatem loci, vel temporis.*

Et tamen hæc Doctrina, quæ in S. Thoma erat verissima, in libro P. La-Croix tamquam circæo veneficio facta est repente LAXA.

Carpit hic P. Concina more suo Patrem La-Croix, illumque vocat opinionum contrariarum collectorem, qui lectoribus libertatem eligendi quam placuerit, passim relinquat. Ait, hanc esse methodum, quam in universa sua Theologia servat Doctor iste. Ait, hanc methodum casuistici Pyrrhonismi speciem redolere. Ait, hanc esse justam criticen in opera La-Croisii. Et hinc repetit causam cur La-Croix tam libenter ematur, & facile distrahatur.

Primùm, falsum est, hanc esse perpetuam methodum Patris La-Croix. Nam quamvis aliquando productis hinc inde auctoribus, eorumque argumentis judicium suum sustineat: quamvis censoriam virgam non attollat: quamvis partem faventem libertati magnis sæpe permultisque Theologis communem LAXAM, LAXISSIMAM, HORRENDAM, SCANDALI PLENAM, ERRONEUM COMMENTUM, INAUDITUM PARADOXON,

CUM

CUM EVANGELIO PUGNANTEM appellare non audeat: quamvis hanc methodum Patri Concinæ perpetuo servandam, & servatam relinquat: Nihilominus ut plurimum suam sententiam promit; solidis ratiociniis, aptisque auctoritatibus communit; & in omni Theologiæ moralis parte sese doctissimum, & versatissimum ostendit. Et hæc est causa ejus facilis distractionis, quæ tam acriter urit P. Concinam.

Deinde hanc ipsam accusationem P. Concina desumpsit a P. La-Croix; qui sibi illam objicit in Præfatione totius operis num.4. Et promissam ibi responsionem, sive causas suspendendi aliquando judicium, affert postmodum lib.4. num.1542. his verbis.

Primò *Quia non potest semper resciri veritas*. Secundo. *Quia difficillimum est invenire, & periculosissimum definire, quænam sint peccata levia, vel gravia*. Tertio. *Quia etiam* DIFFICILLIMUM *est semper determinare*, QUÆNAM INTER OPINIONES SIT PROBABILIOR. Quarto. *Quia si adducantur auctores & rationes in utramque partem*, PRUDENTI *lectori suggeruntur sufficientia motiva sibi formandi conscientiam practicam*. Quinto (Notent hanc quintam modestissimam rationem ii, qui contemptis, & in malam crucem amandatis cæteris casuistis, vellent soli regnare in his judiciis, & unicè comprobari sententias suas) *Quantum ad me attinet, plane judico, alios esse prudentiores, quàm me; nec credo a lectore magnifaciendum judicium meum, quando attuli alios auctores omni exceptione majores*.

Demum sicut ille adhibet illam criticem Theologiæ P. La-Croix; sic alii aliam adhibent Theologiæ suæ. Ajunt, illam esse meram collectionem opinionum omnium rigidiorum solido ratiocinio vacuam, declamationibus verò conviciisque plenissimam. Ajunt, recoctum hic esse quidquid litteræ Provinciales, Theologia moralis Jesuitarum, Henricus a S. Ignatio, Sinnichius, aliique notissimi Societatis osores jam collegerunt. Ajunt,

omnes

omnes hos Tomos in hanc ferè propositionem cogi potuisse: *In quaestionibus inter casuistas catholicos controversis sequenda semper est pars, quae favet legi.* Utra critice justior sit, ego non tanti sum, ut definire valeam: Docti judicabunt.

CAPUT XCVI.

Vindicatur ab injustis criminationibus P. Valentia.

P. Concina Tom.10. pag.89.

P. Gregorius Valentia inter PRIMOS *citari solet, qui mandata contra Simoniam* LAXAVIT. *Hunc Auctorem propriis oculis legi, & reipsa Tom.3. disp.6. quaest. 16. Punct.3. consuetis distinctiunculis legem eludit, inquiens* „ Potest quis conferre spirituale propter temporale principaliter, tamquam propter finem; ita ut „ temporale apud eum non sit finis ipsius rei spiritualis, quasi temporale pluris ab eo quàm spirituale „ aestimetur; sed tantummodo VOLUNTATIS, SIVE APPLICATIONIS ANIMI AD ACTUM „ CONFERENDI SPIRITUALE: & hoc non est „ Simonia „.

Et paulo infra pag. 90.

P. Viva rescribit verba Valentiae, qui SUAM PROSCRIPTAM AB ECCLESIA, *ut mox videbimus*, OPINIONEM *affinxit S. Thomae*.



PAter Gregorius Valentia inter PRIMOS citari debet, qui mandata contra Simoniam ab insigni DOMINICANO LAXATA consuetis distinctiunculis multum restrinxit. Et quidem eo ipso in loco, quem propriis oculis P. Concina legit; sed valde mutilum recitavit; ut occultaret Lectoribus, opinionem Dominicani sui verè proscriptam temperari eo in loco a Valentia, & coerceri. Hoc quomodo se habeat, rem ab initiis repetendo, palam faciam.

S. Thomas Quodlibeto 8. art. 11. loquens de illo, qui pergit ad Ecclesiam PROPTER distributiones, ALIAS NON ITURUS; & quærens, utrum iste Simoniam committat, ita resolvit.

Si hujusmodi distributiones respicit quasi finem SUI OPERIS PRINCIPALITER INTENTUM, *Simoniam committit, & ita mortaliter peccat. Si autem habet principalem finem Deum in tali actu; ad hujusmodi autem distributiones respicit* SECUNDARIO', *non quasi finem, sed sicut in id, quod est necessarium ad suam sustentationem, constat, quod non vendit actum spiritualem; & ita Simoniam non committit, nec peccat. Sic enim acceptio distributionum non erit* CAUSA, *quare ad Ecclesiam vadat; sed proprie hujusmodi determinatio*, QUARE NUNC VADAT, *& non alia vice.*

Dominicus Soto insignis Dominicanus difficultatem patitur in admittenda hac Divi Thomæ resolutione. Quia cum Clerici, & Beneficiati eant ut plurimum ad persolvenda divina Officia NON NISI STIPENDII GRATIA, NON NISI INTUITU NUMMULARIÆ DISTRIBUTIONIS, ALIAS NON ITURI; TANTUM DISTRIBUTIONIS GRATIA, ITA UT ALIAS NON IRENT; adeoque cùm distributiones respiciant tamquam FINEM SUI OPERIS PRINCIPALITER INTENTUM, ex doctrina D. Thomæ sequeretur, ait Soto, omnes damnandos

dos esse Simoniæ; QUOD PROFECTO DURUM EST CREDITU.

Quamobrem relicta doctrina Divi Thomæ defendit, eos Clericos non committere Simoniam, tametsi habeant temporale PRO FINE PRINCIPALI, IMMO UNICO (TANTUM distributionum gratia, ITA UT ALIAS NON IRENT) SUI OPERIS SPIRITUALIS; dummodo non intendant illud temporale TAMQUAM PRETIUM SPIRITUALIS; quæ est doctrina ab Ecclesia proscripta, ut mox videbimus. En summa fide verba SOTI lib.9. de Just. quæst.6. art.2.

Postremùm hic dubium restat triviale de Canonicis, atque aliis Clericis, qui ad horas Canonicas in Ecclesia NON NISI (*en, Lectores, finem non modo* PRINCIPALEM, SED UNICUM) STIPENDII GRATIA *concurrunt; utrum Simoniæ vitium contrahant? Ad hoc D. Thomas Quodlibeto* 8. *quæst.* 6. *seu art.*11. *respondet; quod si stipendium sit* FINIS *intentionis celebrandi divinum Officium, Simonia committitur, quoniam tunc stipendium* HABET RATIONEM PRETII, *quo non est licitum vendere rem spiritualem, quale est divinum Officium. Si autem* PRINCIPALIS INTENTIO *non sit nisi divinus cultus; temporalis verò fructus sit accessorius, tamquam ad sustentationem necessarius, non est Simonia. Hæc autem solutio, nisi sanè intelligatur*, SCRUPULIS PUNGET *humanas conscientias. Videtur enim hìc D. Thomas ut Simoniacos condemnare quotquot ad Ecclesiam ire pergunt* INTUITU NUMMULARIÆ DISTRIBUTIONIS ALIAS NEQUAQUAM ITURI (en iterum finis PRINCIPALIS, VEL UNICUS) QUOD *profectò* DURUM EST CREDITU ...... *Resolutio ergo est, quod ire ad Ecclesiam tempore, quo Clericus non tenetur* TANTUM *distributionum causa*, ITA UT ALIAS NON IRET. (*En tertio* FINIS PRINCIPALIS IMMO UNICUS) *non est vera Simonia, nisi intenderet pro re spirituali* PRETIUM *recipere modo supra exposito.*

 Ha-

Hactenus Soto, qui docet, ut oculis vestris videtis, non esse Simoniam habere temporale PRO FINE PRINCIPALI IMMO UNICO REI SPIRITUALIS, nisi illud temporale INTENDATUR UT PRETIUM. Et sic *sanè* intelligit D. Thomam.

Affero statim propositiones damnatas ab Innoc. XI. ut facilius cum doctrina SOTI conferri possint.

45. *Dare temporale pro spirituali non est Simonia, quando temporale non datur* TAMQUAM PRETIUM, *sed dumtaxat tamquam motivum conferendi, vel* EFFICIENDI *spirituale: vel etiam quando temporale sit solùm gratuita compensatio pro spirituali; aut è contra.*

46. *Et id quoque locum habet, etiamsi temporale* SIT PRINCIPALE MOTIVUM *dandi spirituale: immo etiamsi sit finis* IPSIUS REI SPIRITUALIS *sic, ut illud pluris æstimetur quàm res spiritualis.*

His præmissis P. Gregorius de Valentia in theologica Republica non ignotum nomen, ut temperaret, & coerceret doctrinam SOTI; ipsumque, quantum poterat, conciliaret cum D. Thoma, adhibuit DISTINCTIUNCULAM: & distinxit inter ipsam REM, SIVE OPUS SPIRITUALE; & VOLUNTATEM applicandi se ad tale opus: &, loquendo pressius ad rem nostram, distinxit inter ipsam RECITATIONEM divini Officii, & VOLUNTATEM eundi ad Ecclesiam ad divinum Officium recitandum.

Hac DISTINCTIUNCULA excogitata docet: si temporale sit FINIS PRINCIPALIS ipsius REI SIVE OPERIS SPIRITUALIS; verissimam esse sententiam S. Thomæ, quam Sotus deseruit; nempe committi Simoniam. Si verò temporale sit FINIS PRINCIPALIS non ipsius REI, SIVE OPERIS SPIRITUALIS, sed VOLUNTATIS applicandi se ad tale opus, e.g. VOLUNTATIS eundi ad Ecclesiam; Sotum in hoc sensu non contradicere S. Thomæ, & veram esse ejus sententiam, nempe non committi Simoniam. Et præterea, quod di-

ligen-

ligenter advertendum est, Valentia habet pro uno, & eodem hæc duo: Habere temporale pro fine principali REI SPIRITUALIS: & intendere illud TAMQUAM PRETIUM, quæ Sotus cum propositione damnata supponit separari posse: siquidem docet, non esse Simoniam habere temporale PRO FINE PRINCIPALI, IMMO UNICO, REI SPIRITUALIS, dummodo non intendatur TAMQUAM PRETIUM. En integer Valentiæ textus, ex quo videbunt Lectores, quid dexterè subduxerit P. Concina; quid tantùm recitarit.

Sed possunt in concordiam redigi istæ duæ opiniones. Nam dupliciter potest quis conferre spirituale PROPTER *temporale* PRINCIPALITER *tamquam* PROPTER FINEM. *Uno modo, ita ut temporale apud eum sit finis non modo* VOLUNTATIS, ET APPLICATIONIS ANIMI *ad actum conferendi spirituale; sed etiam* IPSIUS SPIRITUALIS; *si videlicet illud temporale æstimet pluris non modo quàm actum conferendi hic & nunc spirituale, sed etiam quàm* IPSUM SPIRITUALE, *quod confert. Et tunc omnino committit talis Simoniam. Nam hoc ipso quod pluris æstimat temporale, quàm spirituale; æstimat etiam illud tanti, quanti spirituale; siquidem æstimat illud etiam pluris, atque adeo tanti quoque.* ET EO IPSO *spirituale pro temporali*, TAMQUAM PRO PRETIO, *venditur; in quo consistit perversitas Simoniæ. Atque isto modo est vera, & a suis Auctoribus intellecta opinio prima Adriani*, S. THOMÆ, *Covarruviæ, & aliorum. Altero modo* (Hic incipiunt verba a P. Concina recitata) *potest quis conferre spirituale* PROPTER *temporale* PRINCIPALITER *tamquam* PROPTER FINEM, *ita, ut temporale apud eum non sit etiam finis* IPSIUS REI SPIRITUALIS, *quasi temporale pluris ab eo, quàm spirituale æstimetur; sed tantummodo* VOLUNTATIS, SIVE APPLICATIONIS ANIMI *ad actum conferendi spirituale. Et hoc non est Simonia.* (Hic desinunt). *Nam tunc non propterea vel tanti, vel pluris æsti-*

æstimatur temporale, atque spirituale. ET ISTO *modo est vera secunda opinio* SOTI.

Modò hæc animadvertant Lectores. Sotus scripsit multo prius. Valentia scripsit multo posterius, & multùm temperavit doctrinam Dominicani prioris. Sotus docuit, non esse Simoniam habere temporale pro FINE PRINCIPALI, immo unico ipsius REI SPIRITUALIS, dummodo temporale non intendatur TAMQUAM PRETIUM: quod ajebat propositio proscripta: & in hoc sensu dixit intelligendam esse sententiam S. Thomæ. Valentia docuit, esse Simoniam, habere temporale PRO FINE PRINCIPALI ipsius REI SPIRITUALIS; & eo IPSO jam illud temporale intendi UT PRETIUM, non esse verò Simoniam habere temporale PRO FINE PRINCIPALI VOLUNTATIS applicandi se ac efficiendi illud opus spirituale; CUJUS VOLUNTATIS nullam mentionem facit propositio damnata; & dixit, in hoc sensu, certè multò temperatiore, veram esse opinionem SOTI.

Nihilominus juxta Patrem Concinam, qui propriis oculis Valentiam legit, suppressis supradictis omnibus, quæ ad Sotum pertinebant; Valentia inter PRIMOS citatur, qui mandata contra Simoniam LAXAVIT; Valentia docuit propositionem proscriptam: Valentia affinxit suam propositionem proscriptam Sancto Thomæ. Quæ omnia de SOTO, non de Valentia verissima sunt, ut ostendimus.

CA-

CAPUT XCVII.

Vindicatur ab evidenti impostura P. Viva.

P. Concina Tom.10. pag.89.

P. Dominicus Viva in sua Trutina in proposit.45., & 46. Innoc XI. num.13. inquit „ Videtur hæc esse doctrina „ Angelici 2. 2. quæst. 100. artic. 3. ad 4. „ *Deinde subdit* „ Montaltius in famoso illo libello &c. hanc do- „ ctrinam tribuit ETIAM Valentiæ „ DUO HIC PECCAT P. VIVA. *Primò, quòd asserat videri hanc doctrinam esse Angelici. Secundò, quòd Montaltius talem Doctrinam tribuat* ETIAM *Valentiæ; quasi Montaltius hanc doctrinam adscripserit S. Thomæ; quod falsum evidenter est. Epistolas Provinciales ab Ecclesia damnatas detestor; tum quòd Janseniana lue sint inquinatæ; tum quòd quorumdam Casuistarum laxas opiniones Jesuitis, & ipsi inclytæ Societati impingere videantur; quam ego calumniam millies execratus sum, æternumque execrabor.* Cum ET LEGES SOCIETATIS, & SAPIENTIORES JESUITÆ *sicuti* PROBABILISMUM, *ita laxas, quæ inde veluti ex fonte profluunt opiniones, improbent. Ceterum unum adjicio; Montaltium, ut plurimum,* FIDE SUMMA *transcribere opiniones casuistarum, & quantum ad verba, & quantum ad sensa. E contrario P. Viva cum aliis non infrequenter sententias & S. Thomæ, & aliorum Thomistarum falso, ut mitissimè loquar, in sensu refert. Factum hoc siquis expendere ad Critices leges honesto literario certamine voluerit, me paratum exhibeo.*

Et in Indice V. *Viva* ita scribitur.

Falso

Falso propositionem 45. ab Innoc. XI. damnatam ADSCRIBIT S. THOMÆ: *quam etiam falso asserit eidem S. Doctori tributam a Montaltio.*



NOn P. Viva sed P. Concina DUO hic certissimè PECCAT; & cum eo peccant foederati Indicum fabricatores. Primò peccat peccato IMPOSTURÆ. Secundò peccat peccato CAVILLATIONIS.

Quoad primum. Pronunciat Pater Concina, Patrem Vivam PECCARE in eo, quòd asserat EAM DOCTRINAM VIDERI ESSE D. THOMÆ. Quis non crederet, dum audit Patrem Vivam argui hic de peccato, quis, inquam, non crederet, P. Vivam id asserere EX PROPRIA SENTENTIA, & EX ANIMO eam Doctrinam ANGELICO tribuere? Atqui sciant lectores, P. Vivam id asserere in persona adversariorum, & id afferre ut quintam eorum objectionem, quam dissolvit deinde ordine suo num.23. Placet ne vobis, Lectores, hæc agendi ratio? Est ne hoc referre SINCERE sententias Jesuitarum? Sed audiamus Vivam.

Igitur P. Viva probat more suo falsitatem dictarum propositionum. Deinde num.5. ita scribit „ Venio nunc AD FUNDAMENTA harum thesium DIRUENDA „. Tum numeris 9. 10. 11. & 12. affert primas quatuor objectiones; & tandem num.13. quintam his verbis.

Quinto. VIDETUR HÆC ESSE DOCTRINA ANGELICI 2.2. *quæst.*100. *artic.*3. *ad* 4. *ubi habet* „ Licitum est aliquem provocare ad devotionem monasterii „ per temporalia beneficia, ut ex hoc inclinetur ad Monasterii ingressum, licèt non sit licitum ex pacto aliquid dare, vel accipere pro ingressu Monasterii „. *Ergo ex D. Thoma licitum videtur esse dare pro Spirituali temporale tamquam motivum, non tamquam pretium. Et Montaltius in famoso illo libello, qui inscribitur Littera*

Pro-

Provinciales hanc Doctrinam tribuit ETIAM *Valentia*.

Hanc verò objectionem solvit, ut dixi, num.23. solidè ostendendo D. Thomam nullo modo favere adversariis: quia in eo evento, de quo loquitur S. Doctor, non modo temporale tribuitur ut purum motivum, non ut pretium: sed præterea nullum intercedit pactum, neque explicitum neque æquivalens: & nulla intervenit utilitas dantis, sed solius accipientis: ut cùm muneribus allicitur mancipium ad suscipiendum baptismum: En verba.

AD QUINTUM: *sicut citra simoniam potest conferri Mancipio aliquid temporale, ut alliciatur ad suscipiendum baptismum, ut diximus in responsione ad secundum, ita potest ex Doctrina Angelici loco citato conferri alicui beneficium temporale, ut inclinetur ad monasterii ingressum: Quia in utroque casu temporale confertur tamquam motivum, non tamquam pretium: tum quia nullum intercedit pactum nec explicitè, nec implicitè, neque æquivalenter: tum etiam quia non intenditur in his casibus utilitas propria, sed illius cui confertur temporale: unde non habetur ulla permutatio temporalis cum Spirituali, nec ulla emptio; atque adeo nec Simonia.*

En igitur novum crimen P. Vivæ, & ante hoc tempus inauditum: Referre quintam objectionem adversariorum contendentium stare pro se S. Thomam; illam solidè, & apertè dissolvere; & Angelicum Doctorem ex inimicorum manibus eripere. Pro quibus meritis P. Concina calumniatur P. Vivam, quasi assereret ex proprio sensu, EAM DOCTRINAM VIDERI ESSE S. THOMÆ; Et paratum se exhibet ostendere, Patrem Vivam non infrequenter Sententias S. Thomæ falsó in sensu referre. Utinam lectores annuant iis precibus, quibus ORAT, ut legantur IN FONTE omnes, quos in hoc opere citat.

Dixi de IMPOSTURA, venio ad CAVILLATIONEM. P. Concina dicit, Vivam secundo peccare, quia

scribit, Montaltium tribuere eam doctrinam ETIAM Valentiæ: quasi Viva per illud ETIAM significare voluerit, Montaltium tribuisse prius eam Doctrinam S. Thomæ, quod falsum evidenter est. Sed hæc est cavillatio, quæ non aliud ostendit, nisi impotentem cupiditatem mordendi Vivam. Quomodo probat P. Concina, Vivam intendisse animo eam significationem? Certissimè P. Viva id EXPRESSE' non dicit, ut patet ex ejus verbis supra recitatis. Deinde neque id ullo modo erui potest ex proprietate locutionis. Ostendo.

Finge ex duobus Filiis Joannis Petrum occidisse natu minorem. Quis culparet tamquam impropriam hanc locutionem? „ Petrus abstulit Joanni unum Filium, & Paulus sustulit ETIAM alterum „ & tamen illud ETIAM non significaret, eumdem Paulum occidisse primum. Ita in re nostra. Cùm Viva dicit, aliquos tribuere eam sententiam D. Thomæ; & Montaltium tribuere ETIAM Valentiæ; illud ETIAM non significat, Montaltium eam tribuisse S. Thomæ.

Quod ait P. Concina, LEGES SOCIETATIS improbare Probabilismum, falsum evidenter est. Sicuti in Societate nulla lex est, quæ Probabilismum imperet; ita nulla est, quæ Probabilismum vetet. Liberi omnino sumus.

Quod ait, SAPIENTIORES JESUITAS Probabilismum improbare, multo magis est falsum. Vel de vivis loquitur, qui Sententias suas typis non impresserunt; & ex his multi Probabilistæ sunt, multi Probabilioristæ; & nullum est argumentum ad definiendum, utri sint SAPIENTIORES. Vel loquitur de iis, qui libros ediderunt; bona ejus venia aliam habent famam SAPIENTIÆ atque existimationem, non modo apud nos, sed apud universam Literariam Rempublicam Suarez, Vasquez, Molina, Azorius, Valentia, Sanchez, Lessius, Castropalaus, Filliuccius, Fagundez, Henriquez, Rebellus, Tamburinus, Salas, Laymanus, Cardinalis de Lugo, Conink, Car-

Cardenas, & plurimi similes, qui Probabilismum non improbant; quàm Comitolus, Elizalde, Camargo, Thyrsus, Antoine. Atque ut aliquid etiam de ipsis Dominicanis attingam: quo argumento probabitur; Baronios, Contensonios, Natales, Gonetos, Concinas, & similes Antiprobabilistas, SAPIENTIORES esse celeberrimis illis antiquioribus Dominicanis, qui Probabilismum per integrum fere sæculum tutati sunt?

Quod Jesuitas eo nomine excusat, quia leges societatis & sapientiores Jesuitæ Probabilismum improbent; gratias agimus, sed excusationem hujusmodi recusamus: Tum quòd falsissimo nititur fundamento, ut dictum est; tum quòd pejor est qualibet accusatione. Inde enim sequeretur, fere omnes Societatis Auctores, paucissimis exceptis, & quidem non magni nominis, condemnandos esse. Immo neque aliam excusationem accipimus, quam aliquando prætendit; Jesuitas nempe scripsisse bona intentione. Nemo enim, quod sciam, hactenus fuit, saltem ex Catholicis, tam acerbus Jesuitarum hostis, ut perversæ intentionis Societatis scriptores accusaret.

Quamobrem vera Jesuitarum excusatio adversus Montaltium, & adversùs alios qui Montaltium imitati sunt, in his est posita.

Primo. Quòd sæpissimè sententiæ Jesuitarum sincerè non referantur: quod de Montaltio apertissimè ostendit P. Daniel, & ego de P. Concina. Dicit iste quidem, Montaltium SUMMA FIDE referre sententias Casuistarum. Et sane octavum fuisset terrarum orbis miraculum, nisi P. Concina asseruisset FIDEM Epistolis Provincialibus, quas, ut suam Theologiam locupletaret, expilavit. Sed non est aptus assertor alienæ fidei, qui tam frequenter deficit in sua.

Secundò. Quòd siqui eorum sententias aliquas censurâ dignas verè tradiderunt; eas ut plurimum ab aliis magistris antiquioribus didicerunt, potissimum Dominicanis; ut ego sæpiùs ostendi, cùm se dedit occasio: & ad hoc

ipſum uberius oſtendendum, ſiquis id cupiat, ME PARATUM EXHIBEO. Et certè Jeſuitas neque primos neque ſolos docuiſſe, quæ Montaltius carpit, neque ipſe Wendrochius negare auſus eſt: ſed eam excuſationem, ut vidimus, excogitavit; quam poſtea P. Concina Montaltii artificium magna ex parte imitatus, avidè arripuit: Ceteros nimirum Caſuiſtas LATERE IN BIBLIOTHECARUM ANGULIS.

Tertio. Quòd Scriptores Societatis innumeri pene ſunt, quòd plurimos, ingentes, ſpiſſoſque tomos ediderunt; quòd in iis myriadas, & myriadas Concluſionum rectiſſimè reſolverunt; quod ſcripſerunt fere omnes ante Decretum Alexandri VII.; ad quod tempus tamquam ad Aſylum quemdam confugere nonnulli ſolent, quo nimirum tempore multæ quæſtiones Theologiæ moralis nondum erant tanta luce illuſtratæ, quanta poſtea a Pontificiis Conſtitutionibus perfuſæ ſunt. Quare mirum non eſt, ſi eo tempore, ſi in tanta optimarum rerum multitudine ac varietate, ſi magnis Magiſtris Ducibus, Jeſuitis etiam aliquid minus rectum exciderit: quod cæteroquin ſapientiſſimis etiam ſanctiſſimiſque auctoribus aliquando eveniſſe compertum eſt.

Nec ideo tamen concedo laxum eſſe quidquid laxum appellat P. Concina; imò id pernego: qua de re diſputare non eſt hic locus.

Quod demum ait P. Concina, laxas opiniones ex Probabiliſmo, velut ex fonte profluere: aliàs dixi, & apertè iterum dico; Sciolis & imperitis hoc artificio poteſt imponere. Illis, qui norunt, PROBABILISMUM nihil aliud omnino eſſe, præter HANC SENTENTIAM REFLEXAM „ Licitum eſt ſequi opinionem ſolidè ac practicè probabilem faventem libertati, in conſpectu vel æque probabilis, vel etiam probabilioris faventis legi „ nullamque cognationem habere cum opinionibus directis: illis, inquam, non imponet.

CA-

CAPUT XCVIII.

Restituitur suæ integritati sententia Suarii, Reginaldi & Azorii.

P. CONCINA Tom.10. pag.103.

Ad sacram Theologiam quod attinet, si accipiatur pro COGNITIONE DIVINITUS INFUSA *mysteriorum Fidei, & divinarum Scripturarum, eam vendere, & pretium pro ea accipere Simonia est; ut patet ex iis, quæ dicta de Concionatoribus, verbum Dei adulterantibus, sunt. Salmanticenses loco citato numero 41. putant valde probabilem* SENTENTIAM CONTRARIAM, *quam defendit Suarez lib.4. cap.8. Reginaldus lib.23. num.112. Azorius 3. parte lib.12. cap.18. quæst.6...... Qui autem docent Theologiam, vel Sacram Scripturam in scholis ad auditores erudiendos pactis stipendiis, Simoniam non committunt, ut communiter Auctores docent: quia licet talis Doctrina ex principiis supernaturalibus proficiscatur, tamen* SOLA INDUSTRIA & LABORE HUMANO *traditur; neque ad justificandos Auditores dirigitur.*



ORo P. Concinam, ut legat in FONTE omnes, quos in hoc opere citat. In Suario, Reginaldo, Azorio ne verbum quidem inveniet, ex quo exculpere possit, eos defendere sententiam contrariam; idest defendere, posse vendi absque Simonia Sacram Theologiam acceptam pro COGNITIONE DIVINITUS INFUSA mysteriorum Dei & Sacrarum Scripturarum. Quod productis eorum verbis manifestum fiet.

Sua-

Suarez loco citato a P. Concina non modo nihil habet de Sacra Theologia; sed expresse profitetur, se illam excludere a tota Doctrina illius Capitis: *Loquimur, inquit, semper* DE DOCTORE CONDUCTO *ad docendas* TANTUM NATURALES SCIENTIAS, *seu liberales artes. Nam de* SACRA DOCTRINA *nihil hactenus diximus, nec etiam de speculativa seu Scholastica* THEOLOGIA, *quam* IN TOTA DOCTRINA HUJUS CAPITIS NON COMPREHENDIMUS. Capite vero 18. ubi de ea disputat, relata primo loco sententia rigidiori negante, posse accipi pretium a Magistris pro tradenda in scholis sacra Doctrina, etsi ea non dirigatur ad probitatem morum in auditoribus excitandam, & secundo loco sententiam adfirmantem, hanc defendit in eo prorsus sensu quo admittitur a P. Concina; nempe posse accipi pretium non pro COGNITIONE DIVINITUS INFUSA, immo neque pro COGNITIONE EXCITATA IN AUDITORIBUS, quæ etiam NATURALIS esse potest; sed pro LABORE HUMANO, qui a Magistris ponitur. En verba.

Fateor Sententiam priorem posse & facile & piè sustineri; & habere congruitatem in hoc, quod de Doctrina sacra decentius hoc modo loquimur. Nihilominus in rigore vera est hæc posterior Sententia. Fundamentum autem ejus esse debet, quia licèt Doctrina ipsa Theologiæ in se supernaturalis sit; nihilominus actiones Magistri illam docentis NATURALES SUNT, & NATURALI MODO *cooperantur ad hoc, ut Auditores discant: sive in eis generetur naturalis assensus, sive supernaturalis: quia non venditur ipse assensus, sed solùm* LABOR & OPUS, *quod in alio juvando, & illuminando ponitur.*

Nec quemquam moveat, quod Suarez dicit, Theologiam esse in se supernaturalem, & assensum genitum in Auditoribus, esse posse supernaturalem. Nam primum non docet posse accipi pretium pro ipsa re supernaturali, sed pro labore NATURALI, qui NATURALI MODO coope-

cooperatur, ut auditores discant. Deinde; quia etiam ad Doctrinam eorum, qui juxta P. Concina possunt pactis stipendiis Theologiam docere in scholis, fieri potest, ut ita volente & disponente Deo excitetur in auditoribus assensus supernaturalis. Quamobrem nullum afferri potest discrimen inter sententiam Suarii, & P. Concinæ.

Reginaldus loco citato loquitur primo de scientiis MERE NATURALIBUS; deinde de Theologia non accepta pro COGNITIONE DIVINITUS INFUSA; sed ut NATURALIS SCIENTIA EST, & labore humano comparatur. En verba.

Atque hinc sequitur ad dubitationem, sit ne Simonia accipere pretium PRO TRADENDA AUT DOCENDA NATURALI *arte vel scientia .... sequitur respondendum esse negativè, ut iidem, & Navarrus in Enchiridio cap.* 23. *num.*100. *respondent, quia scientiæ & artes* NATURALES, *quamvis gignantur in nobis dono Dei, tamen* USU & EXERCITIO NOSTRO ACQUIRUNTUR *interveniente* GENERALI *concursu Dei*. Et in fine numeri idem docet de Theologia. *Cùm & ipsa*, inquit, *numeretur* INTER NATURALES SCIENTIAS, *quæ* LABORE, *& Doctrina comparantur*.

Postremò Azorius loco citato tantum abest ut loquatur de Theologia accepta pro COGNITIONE DIVINITUS INFUSA, ut neque Theologiam nominet sed expressè loquatur de scientiis mere NATURALIBUS, quæ STUDIO, & LABORE NOSTRO comparantur cum GENERALI auxilio seu concursu Dei. En ejus verba.

Sextò quæritur, an Simoniam committat, qui disciplinam, vel artem aliquam NATURALEM *docet pretio recepto? Duæ sunt opiniones. Prima est asserentium..... Altera est negantium, ullam Simoniam committi in vendendis, vel emendis disciplinis, vel artibus, quia* NON SUNT SPIRITUALES AB SPIRITU INCREATO, *scilicet* SPIRITU SANCTO: *non enim* SPECIALIA *ejus do-*

dona sunt, sed GENERALIA *dumtaxat..... Hæc opinio est vera; quia quamvis disciplinæ & artes sint dona Dei, cùm auxilio ejus acquirantur;* USU *tamen,* LABORE ET STUDIO NOSTRO *comparantur; nec sunt* SPECIALIA *dona Dei, cujusmodi sunt* GRATIÆ GRATIS DATÆ; *quia* GENERALI *auxilio Dei parantur, & addiscuntur.*

Indicet P. Concina, ubinam isti auctores doceant, posse vendi Theologiam acceptam pro COGNITIONE DIVINITUS INFUSA. Indicet in quo dissentiant ab ipso; qui admittit, nullam esse Simoniam, pactis stipendiis docere in scholis Theologiam, & sacram scripturam. Quod si indicare non potest, cur dicit, hos auctores defendere sententiam contrariam?

CAPUT XCIX.

Restituitur suæ sinceritati sententia P. La-Croix.

P. CONCINA Tom.10. pag.113.

Est ne Simonia aliquid offerre Titio, ut intercedat apud Collatorem? Respondeo. P. Claudius La-Croix lib.3. n. 90. adfirmat, quod probabilius sit, esse Simoniam contra Dianam, dum pecuniam præbes Titio, ut is intercedat apud Sempronium, ut postea Sempronius intercedat apud Collatorem; quia pretium saltem MEDIATE *datur pro beneficio. Verùm continuo subdit, non esse Simoniam, si des pro* LABORE. (P. La-Croix non subdit hoc solum) *Cujus* LAXAM *opinionem transcribit de more P. Nicolaus Mazzotta Tract.3. disp.5. cap. 3. pag.235.* „ Si autem des aliquid intercessori sive me„ diato, sive immediato, non quidem pro intercessio„ ne, sed pro LABORE, LUCRO CESSANTE,

DA-

„ DAMNO EMERGENTE, DISPENDIO TEM-
„ PORIS, &c. IN EUNDO, ET REDEUNDO non
„ est Simonia; quia ista sunt quid temprale OMNINO
„ EXTRINSECUM. La-Croix n.91. & alii commu-
„ niter „ *Re vera La-Croix hanc* LAXAM *opinionem totidem verbis docet cum Diana, Castropalao, Raynaudo, & aliis. Istius opinionis* LAXITAS EVIDENS EST. *Tradere pecuniam pro intercessione apud Collatorem Beneficii, Simoniam esse fatentur: tradere verò pecuniam* PRO TEMPORE IMPENDENDO IN LOQUENDO, IN INTERCEDENDO, (de solo hoc tempore neque La-Croix, neque quisquam alius id docet) *pro lucro cessante, & damno emergente in eundo, & redeundo non est Simonia? Cur? quia hæc sunt quid temporale omnino extrinsecum.* (Advertant jam hinc Lectores ad sequentem venustam amplificationem; in ea enim sita est insignis deformatio sententiæ P. La-Croix; quia conatur persuadere, hunc Theologum loqui de rebus per se necessariis ad intercessionem; ideoque INTRINSECIS, ET NON EXTRINSECIS) *Ita ne vero? Fieri ergo potest intercessio sine aliquo temporis dispendio, sine accessu, & recessu a Collatore? Si quis intercedere debet, loquatur oportet.* (P. Concina docet nos res valde retrusas) *Mutus ne intercessor? Per nutus, & signa intercedet? At & ista ut fiant* TEMPORIS INTERVALLUM, ACCESSUM, ET RECESSUM POSTULANT. (Sine dubio; sed de hoc temporis intervallo, accessu, & recessu per se, & intrinsecè necessariis ad quamlibet intercessionem, nemo loquitur) TAM RIDICULARIA PARADOXA *refellere cogor?* (Cogitur a seipso, qui illa cudit) *Quis tam stultus, qui non dicat, pecuniam se tradere non pro intercessione, sed* PRO TEMPORE, QUOD INSUMERE INTERCESSOR DEBET IN LOQUENDO, IN EUNDO, ET REDEUNDO? (Dixi, & repeto; pro hoc præciso tem-

 pore,

pore, nemo dicit, posse quidquam accipi, vel tradi) LEPIDA HÆC ET VENUSTA *mihi videntur* COMMENTA, (cujus sunt?) *nec dubito, quin talia apparere aliis debeant*.



SI P. Concina adulterinis coloribus non deformasset sententiam P. La-Croix; quæ docet iste Theologus, fortasse non apparerent aliis LEPIDA, ET VENUSTA COMMENTA.

P. Concina ita depingit doctrinam P. La-Croix, ut appareat Lectoribus, istum loqui DE ACCESSU, ET RECESSU, DE DISPENDIO TEMPORIS, ET DE ALLOCUTIONE INTRINSECE', ET PER SE NECESSARIIS AD INTERCESSIONEM; sive SINE QUIBUS NULLA UMQUAM INTERCESSIO HABERI POTEST. Patet hoc evidenter ex his figuris interrogationis, quibus declamat contra P. La-Croix.

Ita ne vero? Fieri ne potest intercessio sine aliquo temporis dispendio, sine accessu, & recessu a Collatore? Si quis intercedere debet LOQUATUR OPORTET. MUTUS NE INTERCESSOR? *Per nutus, & signa intercedet? At & ista ut fiant* TEMPORIS INTERVALLUM, ACCESSUM, ET RECESSUM *postulant*.

Atqui istæ meræ sunt imposturæ. Pater La-Croix non est ita bardus, & stolidus, ut ignoret, intercessionem fieri non posse, quin intercessor loco se moveat, ut eat & redeat a Collatore; & quin insumat aliquod tempus in eundo, & redeundo, & aliquod tempus atque aliquem oris spiritum in alloquendo Collatorem. Neque est ita insipiens, ut doceat, posse tradi, vel accipi pecuniam pro istis MOTU, TEMPORE, ET ALLOCUTIONE INTRINSECE', ET PER SE NECESSARIIS AD INTERCESSIONEM.

Sed loquitur de ITINERE LABORIOSO, de ITINE-

NERE REPETITO AD COLLATOREM. Neque enim dicit, eundo, & redeundo A COLLATORE, ut scribit P. Concina, quibus verbis significatur merus RECESSUS post accessum; sed dicit, eundo, & redeundo AD COLLATOREM, quibus significatur REPETITUS ACCESSUS. Præterea non loquitur de QUOCUMQUE dispendio temporis; sed de dispendio, quod afferat damnum intercessori, quia privat illum aliqua utilitate non purè possibili, sed quàm revera tunc perciperet, si eo tempore in alia opera incumberet, a quibus abstinere cogitur in ejus gratiam, pro quo sæpe REDIT AD COLLATOREM. Quæ omnia extrinseca sunt, ut patet, & accidentaria intercessioni, quæ per se loquendo haberi potest SINE ITINERE LABORIOSO, ET SÆPIUS REPETITO, ET SINE DISPENDIO TEMPORIS TALI, UT AFFERAT INTERCESSORI LUCRUM CESSANS, AUT DAMNUM EMERGENS. Et pro istis extrinsecis, & accidentariis intercessioni docet posse aliquid tradi; monendo tamen ne plus tradatur, quàm quanti valet ille labor extrinsecus, & illud damnum accidentale.

Quemadmodum ut Sacerdos faciat Sacrum, necessarium est, ut eat, & redeat ab aliqua Ecclesia; & insumat aliquod tempus in eundo, & sacrificando. Et quia ista sunt intrinseca ipsi Sacro, ideo non potest pro istis quidquam accipere præter consuetam eleemosynam. Si verò aliquis propter aliquam causam cogat Sacerdotem adire laboriosè Ecclesiam valde distantem; & dispendium temporis in longo itinere insumendi afferat Sacerdoti damnum emergens, vel lucrum cessans; pro illo extrinseco, & accidentario incommodo, & pro illo damno emergente, vel lucro cessante, communissima sententia docet posse aliquid recipi proportionatum.

Hanc autem esse sententiam Patris La-Croix, & non illam deformatam a P. Concina, audiatur ex ejus verbis citato lib.3. part.1. num.91. ubi sic.

Da-

Dare pecuniam, non pro intercessione, sed PRO LABORE IN EUNDO, ET REDEUNDO AD *COLLATOREM*, *aut pro* DAMNO IDEO CAUSATO, *vel* PRO LUCRO CESSANTE, *aut pro dispendio temporis* (Notent lectores quale DISPENDIUM) *quod ad intercedendum consumitur*, ET IN QUO NEGLIGITUR UTILITAS ALIOQUIN OBVENTURA, *non est Simonia: uti habet* COMMUNIS *apud Dianam parte* 10. *tract.* 15. *resolut.* 5. *Castropalao num.* 5. *Rayn. num.* 30. *Plus tamen dari non debet, quàm sit* LABOR, VEL DAMNUM.

En vobis, Lectores, in his duobus postremis vocibus tota sententia P. La-Croix, & aliorum. Potest sine Simonia aliquid tradi, non pro illis ridiculariis titulis confictis in sua amplificatione a P. Concina, sed pro LABORE in repetendis pluribus itineribus AD COLLATOREM, qui tamen tantus sit, ut censeatur æstimabilis pretio, vel pro DAMNO inde secuto. Quæ sententia non est ridicularium paradoxon solius P. La-Croix, Dianæ, Castropalai, & Raynaudi; sed

EST RIDICULARIUM PARADOXON Navarri in Manuali cap.23. num.106. ubi sic: *Ad quintum* (respondeo) *quòd mediator Simoniæ committit eam, & excommunicatur per Extrav.2. de Simonia. Immo & dans mediatori, seu intercessori, ut procuret sibi collationem beneficii.... Nisi daretur illi quod deceret*, PRO LABORE QUEM SUSCIPIT IN SEMEL, VEL FREQUENTER ADEUNDO COLLATOREM, ET REDEUNDO AB EO; *vel in compensationem alicujus interesse considerabilis*, DAMNI, VEL LUCRI CESSANTIS *ipsius mediatoris*.

EST RIDICULARIUM PARADOXON eximii Doctoris Francisci Suarez Tom.1. de Relig. lib.4. de Simonia cap.53. num.17. ubi sic: *Addit etiam Navarrus dicto num.* 106., *non esse Simoniam, si aliquid detur* PRO LABORE SUSCEPTO EUNDO, ET REDEUNDO AD COLLATOREM, *vel in recompensationem alicujus* DA-

DAMNI, *quod ea de causa patitur*, *aut* ALTERIUS LUCRI, *quod amittit*. *Quod in rigore verum est*; *quia* HÆC ACCIDENTALIA *etiam in spiritualibus actionibus compensari possunt*. *Sed cavendum est*, (quod monuit etiam P. La-Croix) *ne sub hoc colore aliquid accipiatur ultra æstimationem talis valoris*, *vel damni secundum se spectati*: *aliter Simonia non evitabitur*.

EST RIDICULARIUM PARADOXON Henrici de Villalobos Theologi Franciscani Tom.2. Summæ Hispanicæ tract.37. de Simonia difficult.27. ubi hæc habet, quæ summa fide latinè reddo:

Respondeo, *mediatorem Simoniæ committere Simoniam*. *Ratio est*, *quia est idem dare Collatori*, *ac dare Mediatori*; *nisi ipsi daretur id*, *quod conveniens est* PROPTER LABOREM, QUEM SUSCIPIT EUNDO, ET REDEUNDO AD DOMUM COLLATORIS; *aut propter aliquod interesse considerabile*, *ut esset lucrum cessans*.

EST RIDICULARIUM PARADOXON Filliuccii Tom.3. tract.65. cap.12. quæst.7. ubi sic. *Si detur aliquid* (mediatori) *tantùm* PRO LABORE SUSCEPTO EUNDI, ET REDEUNDI, *pro* DAMNO, *quod ea de causa passus esset*, *vel pro* LUCRO, *quod amisisset*, *excusant* MULTI DD. *a Simonia hujusmodi dantes*, *ut* ADRIANUS, PALUDANUS, *&* *Navarrus ex Suarez*. *Et sequitur eorum sententiam ipse Suarez ex parte*, *&* *limitatè*: *itaut non plus sumatur*, *quàm* LABOR, VEL DAMNUM *mereatur*.

EST RIDICULARIUM PARADOXON Lessii lib. 2. de Justit. cap.35. dubit.8. ubi sic: *Sic etiam qui procurat alteri beneficium*, *aliquid* PRO SUO LABORE ACCIPERE POTEST; *non tamen quatenus is ordinem habet ad beneficium*, *sed quanti per se in alia re non sacra*, *ut in causa civili*, *æstimaretur*: *ut si litteras scribat*, SI ITER CONFICIAT, *si alias expensas rationi consonas faciat*; *non tamen licitum est*, *hæc pluris æstimare propter felicem successum*, *vel beneficii opimitatem*.

EST.

EST RIDICULARIUM PARADOXON. Bonacinæ de Simonia disp.1. quæst.6. punct.4. ubi sic: *Hac de causa Navarrus cap.23. num.106. Suarez cap. 53 num. 17. Filliuccius cap.12. quæs. 7. num. 12. Lessius, & alii excusant a Simonia eum, qui pecuniam accipit, non simpliciter, ut procuret alteri beneficium, sed habita ratione laboris in scribendo*, ITER PERAGENDO, *in expensis faciendis, in privatione lucri, & commodi temporalis, quo se ea de causa privat, & similibus. Hæc enim sunt pretio æstimabilia.*

Mitto alios plures, ne & mihi, & aliis tædio sim, est enim sententia communissima. Sed audire præstat robusta argumenta, quibus armatus P. Concina audet unus obsistere contra tam multos, & opinionem Navarri, Suarez, Villalobosii, Dianæ, Bonacinæ, Filliuccii, Lessii, Raynaudi, Castropalai, & fere omnium appellat EVIDENTER LAXAM, RIDICULARIUM PARADOXON, LEPIDUM, ET VENUSTUM COMMENTUM.

Quod attinet ad argumenta a ratione petita nihil prorsus affert præter recitatas figuras interrogationis; quæ calumniosæ sunt, & extra rem; siquidem loquuntur de accessu, & recessu a Collatore, & de tempore insumendo in eundo, redeundo, & colloquendo; SINE QUIBUS NULLA INTERCESSIO HABERI POTEST, ac proinde INTRINSECIS intercessioni. Pater verò La-Croix loquitur de laboriosis, & repetitis itineribus, & de dispendio temporis afferente intercessori Nocumentum, & damnum; de quibus loquuntur tam multi, atque insignes Theologi, quos ipse, & Mazzotta cum ipso secuti sunt. Quæ omnia accidentaria sunt, & extrinseca intercessioni: Siquidem intercessio fieri, & stare potest cum itinere commodissimo, & cum dispendio temporis nullum damnum intercessori afferente.

Quod attinet ad argumenta petita ab auctoritate, en ejus verba: *Diana, inquit, has distinctiones invenit;*

(Fal-

(Falsissimum: nam iis distinctionibus usi sunt multo ante Dianam Navarrus, & Suarez) *easdem transcripsere alii Casuistæ; easdem compilavit Croix, & ex Croix Mazzotta: & postea concludunt*, ITA COMMUNITER DOCTORES. VERUM DOCTORES ECCLESIÆ, ET SACRI CANONES OPPOSITUM APERTISSIME' DOCENT „ qui beneficium, inquit S. Carolus in Con„ cilio Mediolanensi I. Ecclesiasticum vacans multis, & „ ambitiosis precibus per se, vel per alios petierit, eo „ facto ita redditur indignus, ut per biennium in eum „ neque illud, neque aliud beneficium conferri possit „. S. Bernardus lib.4. de consideratione cap.4. inquit „ Alius „ pro alio, alius forte, & pro se rogat. Pro quo roga„ ris, fit suspectus; qui ipse rogat pro se, jam judicatus „ est; nec interest per se, an per alium quis roget „

Hactenus P. Concina. Nec præter hos duos textus, quos, ut alia plurima, excripsit ex Gennetto Tom. 2. tr. 2. cap.3. ullum alium affert aut Ecclesiæ Doctorem, aut Sacrum Canonem.

Verùm isti textus non solùm NON APERTISSIME', sed nullo prorsus modo mihi videntur probare oppositum. Controversia est, utrum sit Simonia dare aliquid intercessori pro repetito, & laborioso itinere ad Collatorem; & pro dispendio temporis, nocumentum aliquod intercessori afferente, ut esset lucrum cessans, vel damnum emergens. Ubi in iis testibus ne verbum quidem de rebus istis?

Illi textus, ut patebit eos consideranti, ad summum probant, ILLICITUM ESSE procurare sibi beneficia Ecclesiastica vel per se, vel per alium, vel propriis precibus, vel alienis. Quod quidem utrum probent, aliorum judicium expecto. Sed demus ex iis textibus hoc posse confici, PECCATUM esse rogare sibi beneficium, vel pro se, vel PER ALIUM. Supposito hoc peccato jam perpetrato; probant ne ii textus, non esse dandam mercedem intercessori pro SUO LABORE extrinseco inter-

ces-

cessioni; neque esse ipsi compensanda DAMNA, quæ propter intercessionem illi obvenerunt? Cæteri judicent.

Praxis Romanæ Curiæ; & quid concessum sit illis, quos vulgo AGENTES, & EXPEDITIONARIOS vocant, mihi prorsus ignotum est. Quamobrem hac de re nihil dico. Sed hoc misso

Habetis, Christiani Lectores, quam sententiam P. Concina turpissimis conviciis oneret, ac dehonestet. Habetis QUAM APTIS auctoritatibus eam impugnet. Ex hac de reliquis conijcite.

CAPUT C.

Vindicatur ab impostura P. Lessius.

P. Concina Tom.10. pag.115.

P. *Lessius de more asserit num. 129. Bullam S. Pii V.* NULLIBI *esse receptam. Sed Lessius* FALLITUR, FALLITQUE. *Testantur enim Salmaticenses num. 74 ex Raphaele a Torre in Hispania esse receptam.*



PAter Concina DE MORE calumniatur Patrem Lessium, & FALLITUR, FALLITQUE. Pater enim Lessius nusquam dicit, Bullam Sancti Pii V. NULLIBI esse receptam: immo apertissime supponit esse receptam ALICUBI; & solùm dicit non esse receptam IN PLERISQUE LOCIS. En ejus verba lib. 2. de justitia cap.35. dubit.22. cit. num.129.

Notandum tamen, UBI Bulla Pii V. de pensionibus est recepta, IBI pensionem esse rem spiritualem. Statuit enim Pius V. ut omnes Pensionarii ratione pensionis teneantur recitare Officium B. Virginis; qua ratione pensio revera

verà est quoddam beneficium. Sed PLERISQUE LOCIS *hæc Bulla* NON *videtur recepta.*

In vocabulario P. Concinæ ad mordendum Lessium Jesuitam Synonima sunt, PLERISQUE LOCIS non videtur recepta, & NULLIBI ex recepta. Oro rursum Lectores, ut videant IN FONTE omnes, quos in hoc opere citat. Oro, ut sententiam sustineant; donec quæstiones, quas tractat, in aliquo Theologo legant; & tunc judicium, quod coram Deo rectum ipsis videbitur, de opinionibus ferant.

CAPUT CI.

Restituitur suæ integritati sententia Sanchez.

P. Concina Tom. 10. pag. 248. & 249. agens de Causis allegatis a P. Sanchez pro justa dispensatione Pontificis in matrimonio rato; ita refert quartam & sextam causam.

Quarta causa est, pergit Sanchez num. 7., quando alter Conjugatorum asserit, se non habuisse animum contrahendi. Sic Socinus senior..... Felinus..... Menochius.

Ultima causa est, concludit P. Sanchez num. 9., mutuus conjugum consensus. Sic Gregorius Lopez.... Medina .... Sed hanc causam non esse sufficientem testantur multi Doctores, quos retuli disput. præcedenti num. 2. asserentes, non posse Pontificem ex potestate ordinaria ob mutuum contrahentium consensum dispensare, si alia causa non subsit: & quamvis fateantur posse ex potestate absoluta, id evenit, quia credunt, nullam requiri causam, ut validè dispenset, ut ibi explicui.

Hactenus P. Concina: & in Indice Verbo *Sanchez* ita liberaliter scribitur.

FUTILES *causas allegat, ob quas Papa possit dispensare in vinculo Matrimonii rati.*

:§:§::§:§:***

EST hic rursum precibus meis, imo precibus Patris Concinæ locus; ut legantur in FONTE omnes, quos in hoc opere citat. Truncatissimè refertur uterque textus Sanchezii, atque ea resecantur, quæ ejus opinionis adspectum omnino immutant.

Quod attinet ad primum textum, sive ad quartam causam: P. Concina blande propinat lectoribus, Sanchezium absolute, simpliciter, & indefinite admittere ut justam causam dispensandi in matrimonio rato, SI ALTER CONJUGATORUM ASSERAT, SE NON HABUISSE ANIMUM CONTRAHENDI. Hoc enim præcisum a reliquis, & præterea nihil aliud e Sanchezio refert. Atqui sciant hoc esse falsissimum. Nam P. Sanchez eam doctrinam non adoptat nisi multum temperatam, & his limitibus circumscriptam: Nempe in eo solùm evento, quo alter conjugatorum, qui negat se habuisse animum contrahendi, nullo modo induci posset, ut præstaret verum consensum, & ex eo matrimonio adeo coacto graves inimicitiæ orituræ forent. En verba quæ Sanchez textui recitato a P. Concina continuo subdit.

Quod credo verum, quando NULLO MODO *induci posset, ut præstaret verum consensum, & ita ex matrimonio tam coacto* GRAVES INIMICITIÆ ORIRENTUR.

Cur hos limites, qui Sanchezii sententiam valde coercent, atque invidiam vel omnino auferunt, vel certe multum imminuunt, fidelissimus P. Concina lectoribus occultavit?

Quod attinet ad secundum textum, sive ad ultimam causam: si ea solùm legantur, quæ ceteris truncatis reci-

citat P. Concina; ſuſpenſi ſaltem, ac dubii manebunt omnes; utrum Sanchez indefinitè amplectatur laxiorem opinionem Lopezii, & Medinæ, adfirmantium juſtam eſſe cauſam diſpenſationis mutuum tantùm conjugatorum conſenſum: an verò amplectatur contrariam. Hoc enim nullo modo a Patre Concina definitur, aut indicatur. Atqui hic etiam ſciant, Patrem Sanchez adhærere Sententiæ oppoſitæ, niſi quando ex negata diſpenſatione infelices exitus abſque remedii ſpe timerentur. En item verba relicta a P. Concina, quæ Sanchez continuo ſubdit.

Et Barboſa ..... dicit, *non eſſe cauſam ſufficientem* MUTUUM CONSENSUM. ET ITA CREDO, *niſi quando inter ſe ita eſſent diſcordes Conjuges*, UT INFELICES EXITUS ABSQUE REMEDII SPE TIMERENTUR.

Et hæc quidem, quantum attinet ad defectum bonæ fidei in referenda integrè & ſincerè doctrina Patris Sanchez. Tria nunc adjicere placet.

PRIMUM. P. Sanchez non cudit ipſe primus eas Cauſas juſtæ diſpenſationis, quas lib.2. de Matrimonio diſput.16. enumerat, & illuſtrat. Sed pro illis citat modo celebres Canoniſtas; modo aliquos Theologos; modo etiam Dominicanos, quorum tamen opiniones temperat aliquando, & coercet; ut viſum eſt. Cur P. Concina inſectatur nominatim ſolum Sanchezium? Cur proponit controverſiam his verbis: *Quænam cauſæ aſſignentur a* P. SANCHEZ *pro juſta diſpenſatione matrimonii rati?* Cùm potuiſſet nominare tot alios, qui ante Patrem Sanchez eaſdem minori cum temperatione aſſignarunt? Ne ſinat P. Concina elabi ſibi de manibus WENDROCHIANAM excuſationem: Aliter multi ſuſpicabuntur, ipſum non eſſe vacuum a ſtudio partium, & ad hoc potiſſimùm reſpexiſſe in hac ſua Chriſtiana Theologia; ad obruendam ſcilicet exiſtimationem Auctorum Societatis.

SECUNDUM. P. Concina poſtquam quæſtionem propoſuit, utrum Pontifex diſpenſare poſſit in matrimo-

monio rato, ita hic proteſtatur pag 244. *In hac graviſſima Controverſia nihil omnino ego judicii pronunciabo. Abſit a me temeritatis tantum, ut limitibus circumſcribere pontificiam poteſtatem velim.* HISTORICI *dumtaxat non Theologi partes agam, & utriuſque Sententiæ argumenta in medium adducam propria opinione prorſus ſuſpenſa.*

Ardore ſummo promovet argumenta partis, quæ Pontificibus negat eam poteſtatem. Summo ſtudio conatur elevare atque irridere quidquid affert pars, quæ concedit. Cauſas omnes, pro juſta diſpenſatione afferri ſolitas, quibus cadentibus, ea quoque poteſtas ruat, neceſſe eſt, rejicit tamquam laxas, & futiles. Barboſam, quia dixit, præter religioſam Profeſſionem juſtas alias cauſas reperiri poſſe diſſolvendi matrimonii rati, inſectatur iracundo hoc ſcommate: *Numquid Barboſa ſupra jus canonicum eſt? Unde Barboſa colligit alias juſtas cauſas, quæ reſcindant matrimonium ratum* JURE NATURALI, ET DIVINO *perpetuum?* ET HISTORICI ſolùm partes agit? Perpendant, quæſo, lectores totum illum locum; & ipſi videant, an illa proteſtatio inane ſit artificium.

TERTIUM. P. Sanchez, ut probet, non quidem immediatè Matrimonium ratum a Pontifice juſta cum cauſa diſſolvi poſſe; ſed nihil magis mutuæ benevolentiæ adverſari, quàm conjugum diſparitatem; poſt allata Scripturæ, Leonis Papæ, Boetii, Tiraquelli, veterumque Philoſophorum teſtimonia; affert etiam hunc Ovidii verſiculum ex Epiſtola Dejaniræ ad Herculem.

Siqua voles aptè nubere nube pari.

P. Concina propter hunc verſum, ita ironicè Sanchezium pungit: *Næ iſti limpidi ſacrorum Canonum fontes, unde diſſolvendi Evangelici Sacramenti cauſæ hauriendæ.*

Ego verò non video, qua fronte P. Concina irrideat hac de cauſa Sanchezium; cùm ex iiſdem fontibus ipſe quoque non ſemel hauſerit aquam, ad irrigandam, & odoriferis veluti liquoribus conſpergendam hanc ſuam Theologiam.

Hau-

Hausit Tomo 2. pag.250., ubi ad improbandum foeminarum ornatum hæc affert ex Amoribus Ovidianis.

Dicebam: desiste tuos medicare capillos.
Tingere quam possis, jam tibi nulla coma est.

Hausit eodem Tomo 2. pag 231. ubi ut probet nimium ornatum esse argumentum impudicitiæ, affert hæc Ovidiana ex lib 4. Fastorum.

Casta quidem, sed non & credita: rumor iniquus
Læserat, & falsi criminis acta rea est.
Cultus, & ornatis varie prodisse capillis
Obfuit; ad rigidos promptaque lingua sonos.

Hausit Tomo 4. pag.85. ubi ut probet, mollitiem esse jure naturæ vetitam, affert spurcissimum istud Martialis distichon

Ipsa crede tibi naturam dicere verum.
Istud, quod digitis, Pontice, perdis, homo est.

Hausit eodem Tomo 4. pag.458. ubi ut impugnet Sententiam Cornelii a Lapide de Puella non clamante; imo Sententiam Soti & Goneti, ut vidimus suo loco; affert hoc aliud item spurcissimum Martialis distichon.

Casta igitur nulla est? castæ sunt mille: quid ergo?
Casta fuit: non DAT, non tamen illa negat.

Hausit hoc Tomo 10. pag.337 Ubi, ut probet dari posse impotentiam ex maleficio, affert hoc ex amoribus Ovidianis.

Quis vetat, & magicam nervos torpere per artem?

Sed absorptus voluptate mordendi Jesuitam Sanchez, animum non advertit ad multo plura hujusmodi, quæ ipse scripsit.

CAPUT CII.

Restituitur suæ sinceritati sententia Vivæ.

P. Concina Tom.10. pag.295.

Sufficit ne error communis absque titulo colorato? P. Sanchez lib. 3. disp.22. num 49. & 50. licèt benignissimus, ne probabilem quidem vult opinionem adfirmantem. Sed P. VIVA *quæst.4. art.4. num. 12. fatetur quidem, Patrem Sanchez ut improbabilem rejicere opinionem adfirmativam: subdit tamen cum* SUO *Diana, Molfesio, & Joanne Sanchez* PROSCRIPTO, *aliisque, præfatam opinionem esse probabilem. Eamque suadere nititur* ,, ,, QUIA, *inquit*, ex æquitate, & benignitate Juris ,, asserendum, utrobique suppleri defectum, qui a po- ,, testate humana suppleri potest ,,. *Hæc interpretatio* ARBITRARIA, FALSA, ET LAXA EST.

§§*§*§*§*§*

PAter Concina hic non imponit Vivæ eam opinionem, nam re vera illam putat probabilem ex Diana, & aliis: Sed imponit ineptissimam rationem, qua P. Viva nusquam utitur. Igitur P. Viva non conatur persuadere præfatam sententiam illo QUIA, quod ipsi affingit P. Concina; neque in toto Patre Viva reperitur textus ille verborum, quem sub ejus nomine P. Concina recitat: sed utitur alio argumento diversissimo, & satis solido, quod P. Concina non modo non dissolvit, sed omnino occultat. Et verba, quæ P. Concina fingit esse argumentum P. Vivæ, in P. Viva sunt mera conclusio probata. En Vivæ verba post relatam opinionem Thomæ Sanchez. His

His tamen non obstantibus Diana part.3. tract.4. resolut.122. & part.8. Tract.1. resolut.94. docet cum PONTIO, *Molfesio, & Joanne Sanchez valere in utroque foro gesta Parochi, Judicis, Confessarii, Tabellionis &c. etiamsi solus error communis sine titulo colorato intercedat. Unde docet, validum esse matrimonium, cui Parochus intrusus assistit, etiamsi a Contrahentibus sciatur non esse verè Parochum illum, qui communiter ab aliis Parochus existimatur.* RATIO EST, (non illud QUIA calumniosè affictum a P. Concina) QUIA *eadem inconvenientia sequerentur in Republica, si acta istorum essent invalida, sive titulus coloratus annectatur errori communi, sive non annectatur.* ERGO (en conclusio probata, quàm P. Concina retulit ut rationem probantem) *eadem dispositio legis debet esse utrobique; atque adeo* (verbis sequentibus P. Concina præfixit illud QUIA, & verborum textum efformavit, qui in Viva non est) *ex æquitate, & benignitate juris asserendum, utrobique suppleri defectum, qui a potestate humana suppleri potest.*

Num sincerè relata sit opinio Patris Vivæ, Lectores videant. Ego ad quædam alia pergam.

Ad illud scomma CUM SUO DIANA: neminem pudere debet Dianam esse SUUM. Et sane ego malim esse MEUM Dianam, quàm esse MEUM Montaltium, quàm esse MEUM Henricum a S. Ignatio, quàm esse MEUM in Theologia morali Natalem ab Alexandro, quàm esse MEUM Auctorem Theologiæ moralis Jesuitarum, & similes.

Ad illud; ET JOANNE SANCHEZ PROSCRIPTO. Etiam P. Concina sæpe numero citat pro suis opinionibus Henricum a S. Ignatio PROSCRIPTUM, aliosque Scriptores PROSCRIPTOS; & quod plus est; non raro illos exornat præclarissima appellatione GRAVIORUM THEOLOGORUM.

Ad illud; CUM SUO DIANA, MOLFESIO, JOANNE SANCHEZ PROSCRIPTO, ALIISQUE. P.

Viva nominaverat etiam PONTIUM. Pontius de Matrimonio auctor est gravissimus, & celeberrimus. Non parum profuisset Patri Vivæ apud Lectores, si vidissent, ad afferendam præfatæ opinioni probabilitatem, motum illum fuisse etiam ab auctoritate PONTII. Cur Pontium a P. Viva citatum P. Concina occultandum esse putavit; & hanc utilitatem Patri Vivæ apud Lectores invidit?

Ad illud; HÆC INTERPRETATIO ARBITRARIA, FALSA, ET LAXA EST. Docebo quinam sint Auctores ejus interpretationis, atque opinionis, & nullum Jesuitam citabo.

PONTIUS lib 5. de Matrimonio cap. 20. post relatam oppositam sententiam Thomæ Sanchez ita pergit, num 2. *Cæterum mihi* PROBABILIUS *videtur*; (PROBABILISTA Sanchez vult, neque esse probabile) *etiam ejus, qui caret titulo, est tamen putativus, & intrusus, valere gesta per eum. Auctores, qui nobiscum sentiunt, referam statim; placet enim hæc sententia per partes explicare, ex quibus sufficienter probata relinquetur.*

Diana part.3. tract 4. resol.122. *Hanc sententiam ego libenter etiam teneo; quia puto, quòd ex errore communi confertur jurisdictio etiam sine titulo colorato collato a legitimo possessore. Et hoc solidè probant* PONTIUS *de Matrim. lib.5. cap.20. num.2. Sancius in select. disp.44. num.3. & ego ipse alibi.*

Bordonus Tom.2. resol.36. quæst.14. num.50. *Molfesius*, PONTIUS, *Diana ajunt sufficere errorem communem sine titulo*. ET BENE: *quia Jurisdictio, quæ ab Ecclesia suppletur, non fundatur in l. Barbarius, sed in provida pietate Ecclesiæ, quæ saluti Fidelium intendit subvenire.*

Franciscus Sylvius part.1. resolut. variar. V. *Matrimonium* 11. *Dices. Ad hoc, ut gesta per Sacerdotem, qui ex communi æstimatione, & errore est parochus putativus, valeant; ipse debet habere titulum: eum verò non habet Sacerdos, qui, ut dictum est, assumitur a Colonel-*

lo, vel Capitaneo Militum .... Respondeo secundò, quod Basilius PONTIUS lib. 5. cap. 20. *tamquam probabilius sustinet, non requiri titulum, modo adsit error communis.*

Pignatellus Tom. 6. consult. 3. proponit hoc sextum dubium. *Dato, quòd non coloratus titulus extiterit, an matrimonia coram eo contracta sint nulla?* Cui sic respondet num.14. *Ad sextum respondeo quoque negativè ex regula illa universali: Quotiescumque causa publica, bonumque publicum agitur, si tamen materia subjecta est potestati Principis, valent ex æquitate in utroque foro quæ gesta sunt cum communi errore per Parochum putativum, sive habeat titulum a legitimo Superiore, sive non habeat. Est* PONTII, *& aliorum, qui advertunt id verum esse, etiamsi contrahentes sciant, illum carere vero titulo.*

Et demum, ne Lectores fatigem, eamdem opinionem tenent Molfesius, Joannes Sancius, Del-Bene, Leander, aliique, quos citat Diana part.8. tract.1. resol.94.

Quibus positis. Primùm. Aliqua certè venia dignus mihi videtur P. Viva, si propter auctoritatem, & rationes tot Auctorum opinionem illam probabilem appellavit. Deinde cùm tam multi ipsum præcesserint, & novissimus omnium illius opinionis probabilitati ipse subscripserit, quæro, cur solus Viva a P. Concina hìc in invidiam adducitur? Cur de ipso solo ita in Indice scribitur: *Falso docet ad assistendum validè matrimonio sufficere errorem communem sine titulo colorato?* Cum idem ante ipsum docuerint PONTIUS, Diana, Bordonus, Franciscus Sylvius, Pignatellus, Molfesius, Sancius, Del-Bene, Leander, atque alii? Commendo iterum P. Concinæ, atque Indicum fabricatoribus WENDROCHIANAM EXCUSATIONEM. Neque enim aliam afferre possunt, cur tam multis antiquioribus prætermissis solum Vivam exagitandum susceperint, & Lectorum oculis objectarint.

Præterea: siquidem P. Concina eam interpretatio-

 nem

nem ARBITRARIAM appellat, ideſt ſine ratione; quo pacto ſolvit rationem Patris Vivæ petitam ex eo, quod eadem inconvenientia in Republica ſequerentur, niſi illorum acta valerent, ſive adjungatur errori communi, ſive non adjungatur titulus coloratus? Hanc rationem non modo non diſſolvit, ſed de illa ne verbum quidem.

Demum quo robuſto argumento opinionem illam refellit, ejuſque LAXITATEM oſtendit? HÆC INTERPRETATIO, inquit, ARBITRARIA, FALSA, ET LAXA EST. Nec præterea quidquam addit. Quamobrem tota vis impugnationis ad illa duo antiqua verba redigitur, IPSE DIXIT. Quæ quidem ratio impugnandi ſententias apud P. Concinam frequentiſſima eſt, ut per ſe animadvertere, propriiſque oculis Lectores videre poterunt. Nequis verò ſuſpicetur, me hic pugnare pro Domo; norint omnes, præfatam opinionem a laudatis Theologis propugnatam rejici communiſſimè ab Auctoribus Societatis.

Poſtremò animadverto, relatam opinionem ab aliquibus PROBABILISTIS admitti; a Thoma Sanchez, aliiſque PROBABILISTIS refelli. Adeo verum eſt, quod ſæpe diximus, PROBABILISMUM nullam cognationem habere, nulloque nexu contineri cum ſententiis directis, ſeu laxæ ſint, ſeu non laxæ.

CA-

CAPUT CIII.

Vindicatur a falsa criminatione P. Sanchez.

P. Concina Tom.10. pag.333.

P. Thomas Sanchez in suis tribus Voluminibus DE RE UXORIA *tam fuso calamo hanc coeundi impotentiam versat, ut non minus, quam* XXVIII. *disputationibus illam explanare operæ pretium judicaverit. Non omnibus datum est quæstiones, quas Auctor iste distinctè enucleat, & perspicuè dispicit salvo pudore, & honestate tractare. Præcipua capita, ea qua potero cautione attingam, ne vel calamus ipse materiam adeo lutulentam versando maculetur.*

§*§*§*§*§*§*§*§

NON MINUS, QUAM XXVIII. DISPUTATIONIBUS? Minus, minus. Disputationes de impedimento impotentiæ lib. 7. incipiunt a 92. inclusive, & desinunt inclusive in 114. Ac proinde sunt tantum 23 non 28. At forte fuit error Typographi. Credamus. Sed de P. Concina in omnem occasionem dehonestandi auctores Societatis, & præcipue Sanchezium, imminente, nulla suspicio temeraria est. Deinde in multis ex iis ipsis vigintitribus Pater Sanchez nihil omnino lutulenti versat, ut patebit legentibus vel solos disputationum titulos. Demum ipse Sanchez satis bonam rationem affert, cur aliquanto diutius in hujusmodi impedimento immoretur: quod nempe, ait, frequenter in Tribunalibus ecclesiasticis accidat, & in confessionibus occurrat. Si lectores in

quæstiones de luxuria a P. Concina pertractatas reflectere parumper oculos velint, videbunt ipsum eo in loco calami maculas virgineo pavore non adeo exhorruisse.

Voces illæ DE RE UXORIA non satis virgineæ, & satis impropriæ sunt. Sanchez sua volumina inscripsit DE SANCTO MATRIMONII SACRAMENTO. RES UXORIA, si P. Concina Calepinos consulat, nescio quid aliud significat. Quamobrem voces illæ calumniose huc, ET ALIO, intrusæ sunt; ut eo loquendi modo major invidia Thomæ Sanchez conciliaretur.

Ea vero criminatio jam diu est, quod intorta fuit in Sanchezium ab Hæreticis Riveto, Christophoro Lutardo, & Sancirano: quos refert, & imitatur Bayle Tomo 3. Dictionarii Historici, & Critici Verbo *Sanchez*. Eam hic dextere & latenter renovat P. Concina; nequid esset ab ejusmodi hominibus dictum contra auctores Societatis, quod ipse non recoqueret, & in suam Theologiam transferret. Sed jam diu etiam est, quod illam alii, potissimum vero Theophilus Rainaudus, dispulerunt. Quamobrem ego nihil hic addo, ne actum agam.

CAPUT CIV.

Elevatur invidia conflata eidem Sanchez.

P. CONCINA Tom.10. pag.361.

P. *Thomas Sanchez lib.9. Disput.46. num.48.* „ Oscula „ & amplexus, aliique tactus non impudici excusantur „ a culpa mortali inter sponsos de futuro ratione con„ tractus sponsalium inter ipsos initi. Ratio est, quo„ niam sicut matrimonium ipsum cohonestat copulam; „ ita sponsalia, quæ quoddam matrimonii initium sunt, „ cohonestare debent hujusmodi tactus qui INCHOA„ TIO quædam sunt copulæ; præsertim quia sic ma-

„ gis

„ gis fovetur amor in ordine ad matrimonium .... „
(Hæc puncta mea non sunt, sed P. Concinæ.)

Tum post acres declamationes, & post irrisam illam INCHOATIONEM, conviciatur, & censurat his liberalibus verbis.

PARADOXA LAXITATIS *hæc sunt quæ* CASTIS AURIBUS SCANDALUM INGERUNT.... *Verum hæc refellenda non sunt, sed* DETESTANDA.

§*§*§*§*§*§

Totidem verba procul dubio sunt in P. Sanchez. Sed quod hic de P. Concina querimur, hoc est. P. Sanchez citat ibi pro sua sententia SEPTEM DOMINICANOS. Pater Concina in loco, quem versamus, insectatur quidem acerbe quatuor Jesuitas, Sanchez, Tamburinum, Gobatum, La-Croix. Verùm suos Dominicanos non modo non exagitat, non modo in indice non ponit, non modo non nominat; sed cùm citatos a Sanchezio certissime ibidem legerit, citationes suppressit substitutis aliquot punctis. Quod quidem utrum vacuitati a studio partium, utrum bonæ fidei, utrum VERO zelo promovendæ purioris Ethices consentaneum sit, alii judicabunt.

Ego, ut hujus opinionis invidia non tota exoneretur in Sanchez; sed ex æquo dividatur in eos, in quos est tribuenda; revelabo, quinam fuerint, quos se magistros sequi Sanchez professus est.

Cajetanus Dominicanus in summa Verbo *Sponsalitia*; ubi sic. *Oscula tamen & amplexus inter Sponsos benevolentiæ causa non sunt peccata, ut patet. Si verò* DELECTATIONIS CAUSA *fiunt affectu maritali* INCHOANTE, *absque impudicitia tamen*, VENIALIA *sunt. Quia sicut Sponsa* INCHOATIVE *est Sponsi; ita delectatio venerea conjunctionis carnalis inter eos* INCHOATIVE *permittitur inter eosdem. Constat autem, oscula* DELECTA-

TIONIS CAUSA *facta non nisi* INCHOATIONEM *venereæ delectationis importare*.

Idem 2. 2. quæst.154. art.4. *Videtur autem quòd sicut sponsalitium* INCHOATIO *quædam est Conjugii ; ita hujusmodi actus* INCHOATIO *quædam est carnalis copulæ. Et quemadmodum concessum est, ut inter Sponsalia suspirent se invicem juxta illud Augustini* „ Ne vilem habeat Maritus oblatam, quàm non suspiravit Sponsus dilatam „ *ita concessa videntur hujusmodi oscula inter eosdem, secundùm indulgentiam tamen, qua venialia conceduntur & nisi, ut hujusmodi* INCHOATIONES *permissæ venialiter in ordine ad promissas nuptias, excusentur: Nescio excusare Sponsorum de futuro* PROPTER DELECTATIONEM *oscula, amplexus &c. De osculis autem, & amplexibus inter eos ad benevolentiæ, & familiaritatis signa non loquor : quia licita procul dubio sunt*.

Medina Dominicanus in Instructione Confessariorum lib. 1 cap.14 §. 18. *Todos tactos, osculos deshonestos, y libidinosos son peccados mortales ; excepto solo quando son entre casados ; y esto quando no se teme aun entre ellos, che de lo tal aura pollucion fuera del vaso natural, que entonces sera peccado mortal*. TAMPOCO ENTRE LOS DESPOSADOS SERAN PECCADO.

Ludovicus Lopez Dominicanus part. 1. Instructorii cap.54. *Peccant Parentes, si permittant inter Filiam desponsatam de futuro tantùm, & inter ejus Sponsum tactus impudicos. Sed bene possunt permittere inter eos oscula, & amplexus, qui ei licent* ETIAM FINE CAPIENDI DELECTATIONEM EX EIS.

Petrus de Ledesma Dominicanus De Matrim. qu.43. art.1. Dubio ultimo in tertio argumento pro sententia docente, Sponsum acquirere aliquod jus justitiæ ad corpus alterius Sponsi, quam sententiam, ejusque argumenta ipse approbat, & amplectitur; hæc habet. Tertiò. SECUNDUM THEOLOGOS, ET SUMMISTAS (jam eo tempore, & ante P. Sanchez) *Sponsi etiam de futuro*

ro

ro licitè possunt osculari, se mutuo amplecti, & tangere se tactibus, qui de se non sunt impudici; ET FRUI VOLUPTATE, QUÆ ORITUR EX EIS; *quoniam Sponsalia sunt* INITIUM MATRIMONII, *& ita concedunt facultatem fruendi* VOLUPTATE PRÆAMBULA *voluptati matrimonii*.

Bartholomæus a Ledesma Dominicanus Dub.14. de matrim. prope finem, teste ipso Sanchezio, idem docet. Sed verba non affero, quia nulla diligentia illum potui reperire.

Præterea eidem sententiæ favent alii duo Dominicani, quatenus generatim atque indefinitè docent, oscula posse permitti Sponsis de futuro, saltem propter consuetudinem: nempe.

Bartholomæus Fumus Dominicanus in Summa, vulgo *Armilla*, V. *Impudicitia*, ubi sic. *Si autem sint Sponsi de futuro, & credunt eis ista licere, quia sic consuetum est, poterunt aliquo modo excusari*

Joannes Tabiensis Dominicanus in Summa, V. *Osculum*, ubi sic. *Sponsis de futuro obstat, quod adhuc possunt separari, quia tamen* (oscula) *sunt quædam* INITIA *matrimonii futuri, possent excusari ex consuetudine*.

En Magistros, a quibus Sanchezius didicit PARADOXA LAXITATIS, QUÆ CASTIS AURIBUS SCANDALUM INGERUNT. En a quibus exscripsit opinionem NON REFELLENDAM, SED DETESTANDAM. Atque hæc est verissima Jesuitarum excusatio, ut aliàs monui; si quando in minus rectas opiniones prolapsi sunt: nimirum non eos esse earum fundatores, vel antesignanos; sed eas ab antiquioribus doctissimisque Magistris didicisse.

Quod si hujusmodi Magistri non ea laborant apud vulgus invidia, qua Jesuitæ; ideo hoc est, quia Montaltius contra solos Auctores Societatis hoc artificium invexit; ut cæteris Theologis prætermissis ex solis ferè Jesuitarum libris expiscaretur, quod carpendum videri poterat

terat. Quod artificium non defuerunt usque ad hæc nostra tempora, qui magna ex parte, recta tamen cum intentione imitati sint.

CAPUT CV.

Vindicantur ab impostura Viva, & La-Croix.

P. CONCINA Tom.10. pag. 383.

P. Dominicus Viva de Sacramento Matrimonii quæst. 7. art. 3. num. 9. pag. mihi 133. „ Demum si alter habeat „ opinionem probabilem de nullitate matrimonii, & „ simul habeat opinionem probabilem de ejus valore, „ licitè potest PETERE, ET REDDERE, cùm „ possit amplecti alterutram opinionem probabilem, „ quam mavult, etiamsi una sit probabilior, quàm „ altera „ *Hæc doctrina est contra Sacros Canones, contra Sanctos Doctores Ecclesiæ; & nisi me omnia fallunt*, EVIDENTER CONTENTA IN THESI I. *damnata ab Innoc. XI. Nam hic agitur de valore Sacramenti matrimonii.*

Et paulo post relata non absimili Doctrina P. La-Croix, hæc subdit.

Hæc cursim indicare libuit, ut intelligant Lectores, damnatam probabilisticam thesim ab Innoc. XI. in controversiis, in quibus agitur de valore Sacramentorum a non paucis Probabilistis promoveri, & propugnari nisi fallor ipse. Sed LECTORES IPSI SINT JUDICES.

Utrum



UTrum Doctrina Vivæ, & La-Croix ſit contra Sacros Canones, & contra Sanctos Eccleſiæ Doctores viderint alii. Manifeſtiſſima certè impoſtura eſt, illam eſſe EVIDENTER CONTENTAM IN THESI I. damnata ab Innoc. XI. & ab his Probabiliſtis promoveri, ac propugnari damnatam probabiliſticam Theſim. De quo Lectores ſint judices, neque ad aliud Tribunal ipſe etiam provoco.

Prima theſis damnata ab Innoc. XI. hæc eſt. *Non eſt illicitum* IN SACRAMENTIS CONFERENDIS *ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore; niſi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc ſententia probabili tantùm utendum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis Sacerdotalis, aut Epiſcopalis.*

Admitto, damnationem extendendam eſſe non ſolùm ad CONFERENTEM, de quo expreſsè loquitur Propoſitio damnata, ſed etiam ad SUSCIPIENTEM; ita ut neque iſti liceat ſequi opinionem probabilem relicta tutiori in iis ponendis, quæ ex parte ſua neceſſaria ſunt ad valorem.

Admitto, damnationem intelligendam eſſe non ſolùm de iis, quæ pertinent ad valorem jure divino, ut ſunt materia, & forma: ſed etiam de iis, quæ pertinent ad valorem jure Eccleſiaſtico, ut eſt privatio hujus, & illius impedimenti dirimentis in Sacramento Matrimonii.

His admiſſis, quæ veriſſima puto: Doctrina damnata in tota ſua amplitudine hæc eſt. *Licitum eſt ſequi opinionem probabilem relicta tutiore circa ea, quæ pertinent quocumque jure ad valorem* IN SACRAMENTIS TUM CONFERENDIS, TUM SUSCIPIENDIS.

Doctrina verò P. Vivæ, & La-Croix hæc eſt. *Licitum eſt ſequi opinionem probabilem, etiam relicta probabi-*

babiliore, DE VALORE PRÆTERITO *matrimonii* IN PETENDO, ET REDDENDO DEBITO.

Lectores nunc sint judices: PETERE, ET REDDERE DEBITUM *est ne* CONFERRE, AUT SUSCIPERE *aliquod Sacramentum?*

Regero in P. Concinam, ut mitissimè agam, hæc sua verba, quæ habet hìc ad aliam rem pag. 391. SINGULARI PATIENTIA OPUS EST IN EJUSMODI RESCRIBENDIS, ET REFELLENDIS.

Ad hanc verò opellam, qualiscumque sit, consueta diverticula, mordaces declamationes, scommata, ultrices satyras, quas ipse appellat plautinos sales, expecto. Responsiones ad rem; responsiones nimirum, quibus superiora capita percurrendo doceat, quodnam sit, in quo modo plus, modo minus a bona fide non defecerit, non expecto.

FINIS.

